



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio XXXVI. De persona Spiritus sancti, in quatuor articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

to diuini intellectus, se ipsum & omnia sibi & alijs personis obiectiue representat. Nec tamen sequitur patrem & filium intelligere Spiritu sancto tanquam forma aut termino intellectiois: sed intelligere seipsum in Spiritu sancto vt reproducta, in qua sunt pater & filius per vnitatem essentia, & per originem ac relationem. Reliqua ad huius argumenti cofutationem necessaria videat lector in dicta nostra controuersia, & apud Suar. in allegato vltimo cap. lib. 9.

QVAESTIO XXXVI.

De persona Spiritus sancti, in quatuor articulos diuisa.

Post considerationem praedictam, considerandum est de his, quae pertinent ad personam Spiritus sancti: qui non solum dicitur Spiritus sanctus, sed etiam amor & donum Dei.

Circa Spiritum sanctum, ergo quaruntur quatuor.

Primo. Vtrum hoc nomen Spiritus sancti, sit proprium alicuius diuinae personae.

Secundo. Vtrum illa persona diuina, quae Spiritus sancti, dicitur, procedat a patre, & filio.

Tertio. Vtrum procedat a patre per filium.

Quarto. Vtrum pater & filius sint vni principium Spiritus sancti.

Ratio ordinis huius questionis, & articulorum eius inter se.

HAEC est tertia pars tractatus de personis in particulari, in qua dixerit S. D. de tertia in Trinitate persona, quae est Spiritus S. cui tria conueniunt nomina. Primum est, Spiritus S. secundum est amor: tertium est donum; de quibus agit S. Th. eo ordine, quo proposta sunt. Nam Spiritus S. nomen est in sacris litteris vulgatissimum, & ceteris omnibus prima sui significatione communius, non solum quia tribus conuenit, vt ex Augustin. dicit auctor in textu: sed etiam quia nomen spiritus ex propria significatione impulsionem, & rem nihil aut parum habentem de materia significat; quae longe communior est, quam amor & donum. Ratio autem amoris naturaliter prior est ratione doni; quia donum respectum connotat ad creaturam, cui donatur; qui sequitur rationem amoris in Deo, qui est prima ratio donationis.

Quatuor habet articulos haec quaestio. in Primo tractatur quid nominis Spiritus S. In secundo examinatur quid rei, quo ad radicem propriam personalis eius distinctionis a filio, quae est processio. In tertio agitur de modo processionis eiusdem Spiritus S. in ordine ad Patrem & Filium: non tantum simpliciter, sed praecipue vt exprimitur per propositiones. In vltimo articulo versat difficultatem consequentem determinationes secundi & tertij articuli, in quibus concluditur Spiritum S. procedere a Patre & filio, & a Patre per filium: ex quibus emergit dubitatio, an pater & filius vere sint & dici debeant vnum principium Spiritus S. an magis duos?

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hoc nomen Spiritus sanctus sit proprium alicuius diuinae personae.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod hoc nomen Spiritus sanctus, non sit proprium nomen

alicuius diuinae personae. Nullam enim nomen commune tribus personis est proprium alicuius personae: sed hoc nomen Spiritus sancti, est commune tribus personis. Ostendit enim Hilar. 8. de Trinit. in spiritu Dei, aliquando significari patrem, vt cum dicitur, Spiritus Domini super me. Aliquando significari filium, vt cum dicitur: In spiritu Dei eicio demonia, naturae suae potestate eicere se demonia demonstrans. Aliquando de Spiritu sancti. vt ibi, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Ergo hoc nomen Spiritus sancti, non est proprium alicuius diuinae personae.

2 Praeterea. Nomina diuinarum personarum ad aliquid dicuntur, vt Boetius dicit in lib. 7. de Trin. sed hoc nomen Spiritus sanctus non dicitur ad aliquid.

B Ergo hoc nomen non est proprium diuinae personae.

3 Prat. Quia filius est nomen alicuius diuinae personae, non potest dici filius huius, vel illius. Dicitur autem spiritus huius, vel illius hominis. vt enim habetur Num. 11. dixit Dominus ad Moyse. De spiritu tuo accipiam, & tradam, eis. & 4. Reg. 2. Requeuit spiritus Eliae super Eliseum. ergo Spiritus sanctus non videtur esse proprium nomen alicuius diuinae personae.

Sed contra est, quod dicitur 1. Ioan. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in caelo, pater, verbum, & Spiritus sancti. Vt autem August. dicit 7. de Trin. cum quaeritur quid tres dicimus, tres personae. Ergo Spiritus sanctus est nomen diuinae personae.

Respond. Dicendum, quod cum sint duae processionis in diuino, altera earum, quae est per modum amoris, non habet proprium nomen, vt supra dictum est. Vnde & relationes, quae secundum huiusmodi processionem accipiuntur, innominatae sunt, vt etiam supra dictum est. Propter quod nomen persone hoc modo procedentis, eadem ratione non habet proprium nomen: sed sicut sunt accommodata aliqua nomina ex vsu loquentium ad significandum praedictas relationes, cum nominamus eas nomine processionis, & spirationis, quae secundum proprietatem significationis, magis videntur significare alius notiones quam relationes: ita ad significandum diuinam personam, quae procedit per modum amoris, accommodatum est ex vsu scripturae hoc nomen Spiritus sanctus. Et huius quidem conuenientia ratio sumi potest ex duobus. Primo quidem ex ipsa communitate eius, quod dicitur Spiritus sancti. Vt enim Aug. dicit 15. de Trin. Quia Spiritus sanctus communis est ambobus, id vocatur ipse proprie quod ambo communiter. Nam & pater est spiritus, filius est spiritus, & pater est sanctus, & filius est sanctus. Secundo vero ex propria significatione. Nam nomen spiritus in rebus corporeis quadam impulsionem & motionem significare videtur. Nam flatum, & ventum, spiritum nominamus. Est autem proprium amoris, quod moueat, & impellat voluere amantem in amatum. c. Sanctitas vero illis rebus attribuitur, quae in Deum ordinantur. Quia igitur persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amat, conuenienter Spiritus sanctus nominatur.

E Ad Primum ergo dicendum, quod hoc, quod dico, Spiritus sanctus prout sumitur in virtute duarum dictionum, commune est toti Trinitati, quia nomine spiritus significatur immaterialitas diuinae substantiae. Spiritus enim corporeus inuisibilis est, & parum habet de materia. Vnde omnibus substantijs immaterialibus, & inuisibilibus hoc nomen attribuitur. Per hoc vero, quod dicitur sanctus significatur puritas diuinae bonitatis. Si autem accipiatur hoc quod dico Spiritus sanctus, in vi vnius dictionis, sic ex vsu Ecclesiae est accommodatum ad significandam vnam trium personarum, scilicet quae procedit per modum amoris ratione iam dicta.

Ad Secundum dicendum, quod dicitur hoc quod dico, Spiritus sanctus

Declinanda ad finem.

Ca. 4. & sequentibus. tom. 5.

2. 27. 4. 4. ad 3.

2. 28. 4. 4.

Li. 5. de tri. c. 1. a. med. & 125 c. 9. circa fin. 10. 11. 3.

163.

In cor. 4. 1.

194. 23. q. 15. 4.

Spiri-

Spiritus sanctus relatiue non dicitur, tamen pro relatiuo ponitur, in quantum est accommodatum ad significandam personam sola relatione ab alijs distinctam. Potest tamen intelligi in nomine aliqua relatio, si Spiritus sanctus intelligatur quasi spiratus.

Ad Tertium dicendum, quod in nomine filij intelligatur sola relatio eius, qui est à principio ad principium: sed in nomine patris intelligitur relatio principij. Et similiter in nomine spiritus prout importat quandam vim moriuam. Nulli autem creatura competit esse principium respectu alicuius diuine persone, sed è conuerso. Et ideo potest dici pater noster, & spiritus noster: non tamen potest dici filius noster.

Sensus quesiti.

TITVLVM explicat Cai. ex responsione ad primum argumentum dicens hic sumi nomen Spiritus S. in vi vnius dictionis.

Forma Textus.

CONCL. est. Hoc nomen Spiritus sanctus est proprium nomen diuine persone procedens per modum amoris, ex accommodatione diuine scripture. Probatur hæc conclusio dupliciter. Primò ostendendo causam siue necessitatem accommodationis. Secundò afferendo rationem conuenientie. Manifestatur necessitas ex differentia inter processionem, quæ est per modum amoris; & eam quæ est per modum cognitionis implicite significata; quoniam illa non habet proprium nomen, sed voce tantum communi nuncupatur processio; hæc verò dicitur generatio. Ex qua sequitur alia differentia inter relationes, quæ secundum dictas processionem accipiuntur; quod scilicet quæ pertinent ad processionem intellectus habeant propria nomina; quæ verò accipiuntur secundum processionem amoris, non habeant nomina propria, sed ex vsu loquentium sint eis aliqua nomina accommodata, vt nomen processionis & spirationis; quæ magis videntur significare actus notionales, quam relationes. Et ex hac tandem differentia sequitur alia, nimirum quod persona procedens per actum intellectus proprijs gaudeat nominibus; ea verò quæ procedit per actum voluntatis & per modum amoris, non habeat proprium nomen, sed ex vsu scripture sit ei nomen hoc Spiritus S. accommodatum. Secundò probatur conclusio afferendo causam conuenientie. Et quoniam nominis accommodatio duo præexigit in nomine acomodato, scilicet communitatem propriæ suæ significationis, & affinitatem siue conuenientiam quandam cum re, siue persona cui accommodatur vt proprium; idè ex vtroque capite probat S. D. congruentiam accommodationis huius nominis Spiritus S. respectu persone procedentis per modum amoris; Et primò ex communitate per dictum Augustini 15. de Trinitate capit. vndecimo; Secundò ex affinitate significationis cum proprijs Spiritus sancti tali argumento. Nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem & motum significat, & proprium est amoris vt impellat & moueat voluntatem amantis in amatum; & sanctitas illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur; at persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur; ergo conuenienter Spiritus sanctus nominatur. Prima propositio quo ad primam partem probatur; quia flatum & ventum, quæ impulsio quædam est, spiritum vocamus; cetera relinquuntur vt nota.

Nax. in 1. part. D. Th. tom. 2.

Expositio Textus.

CIRCA primam probationem conclusionis, quo ad necessitatem accommodationis huius nominis Spiritus S. legenda sunt ea quæ supra notauimus q. 27. a. 3. & controu. 1. ex D. Th. infra q. 37. a. 1.

Pro secunda verò probatione legendus est D. Thom. in 1. dist. 10. q. 1. a. 4. vbi significationem huius nominis spiritus explicat diligenter & in respons. ad 4. rationem affert, cur spiritui sanctitas sit adiuncta. De qua uocelatus disserit S. Tho. in compendio Theologiae capit. 45. & sequentibus, vbi sic ait; Est enim sciendum, quod cum bonum amatum habeat rationem finis; ex fine autem motus voluntatis bonus vel malus reddatur: necesse est, quod amor quo ipsum summum bonum amatur, quod Deus est, eminentem quandam obtineat bonitatem, qua nomine sanctitatis exprimitur: siue dicatur sanctum quasi purum secundum Gracos; quia in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis; siue dicatur sanctum, id est firmum secundum Latinos; quia in Deo est immutabilis bonitas; propter quod omnia, quæ ad Deum ordinantur, sancta dicuntur. Sicut templum, & vasa templi, & omnia diuino cultui mancipata. Hæc ibi D. Thom.

Legendus est præterea D. Aug. lib. 15. de Trin. cap. sextodecimo, vbi latè & subtiliter de hac materia disserit. Suarez lib. vndecimo de Trinit. capit. 1. quædam notat de hoc nomine Spiritus S. quæ desumpsit ex D. Tho. locis sup. citatis.

C Quærit hoc in loco Iauellus: an nomen hoc Spiritus S. in aliquo sensu sit nomè proprium alicui persone, ex suo proprio significato, & nõ solum ex accommodatione? & respondet D. Tho. hic ad 2. affirmare nomen esse proprium diuine persone ex proprio significato, si Spiritus S. intelligatur quasi spiratus; & quando Diuus Thomas id videtur negare, sumit nomen Spiritus, prout dicitur à spiritualitate vel immaterialitate.

Dubiumta- uelli, & eius solus.

D Sed falsa est (vt arbitror) hæc expositio, & contra mentem D. Thom. Nam primò conclusio D. Thom. planissimis verbis hanc interpretationem excludit: deinde contra eam clamat totus articulus discursus; & singulariter secunda conclusionis probatio, quæ de nomine Spiritus loquitur, prout impulsio quædam voluntatis est. Denique secum pugnat hæc expositio; nam cum nomen, Spiritus, non nisi à spiritualitate & immaterialitate dicatur, vt patet ex responsione ad primum, & ex primo sententiarum, si secundum hanc rationem non est proprium nisi ex accommodatione, nullo vnquam alio modo poterit esse proprium. Verba autem illa D. Thom. ad secundum: Potest autem intelligi in nomine aliqua relatio, si Spiritus sanctus intelligatur quasi spiratus, intelligenda sunt supposita nominis accommodatione. Nam ea supposita, si Spiritus S. intelligatur, quasi spiratus non solum significabitur persona, quasi per modum absoluti: sed etiam significabitur formaliter vt relatio subsistens; sicut hoc nomine pater significatur formaliter relatio subsistens.

Denique nota correlarium Magistri Porri cum eiusdem explicatione responsionis ad tertium argumentum D. Thomæ.

R. ARTI-

ARTICVLVS SECVNDVS

Virum Spiritus sanctus procedat à Filio.

185.
1. di. 11. ar.
1. Et po. q.
10. ar. 4. q.
10. ar. 1. c. 4. q.
50. q. 51. q.
op. 3. c. 4. q.
4. con. c.
24. q. 25.
* Cap. 1. de
di. no. par.
à princ.
† In 1. Con-
stanti cano-
ne. 7. fo. 1.
Concil.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quòd Spi-
ritus sanctus non procedat à filio. Quia secun-
dum Dion. * non est audendum dicere aliquid de sub-
stantiali diuinitate, prater ea, quæ diuinitus nobis ex
sacris eloquijs sunt expressa. Sed in scriptura sacra
non exprimitur, quòd Spiritus sanctus à filio procedat,
sed solum quod procedat à patre, vt patet Ioan. 15. Spi-
ritu veritatis, qui à patre procedit. Ergo Spiritus san-
ctus non procedit à filio.

2 Prater. In symbolo Constantinopolitana synodi
sic legitur: Credimus in Spiritum sanctum Dominum,
& viuificantem, ex patre procedentem cum patre, &
filio adorandum, & glorificandum. Nullo igitur modo
debit addi in symbolo nostro, quòd Spiritus sanctus
procedat à filio: sed videntur esse anathematis rei, qui
hoc addiderunt.

Li. 1. orb.
fid. c. 11. nò
procul à fi-
ne.

3 Praterea. Damasc. * dicit, Spiritum sanctum
ex patre dicimus: & spiritum patris nominamus: ex fi-
lio autem Spiritum sanct. non dicimus: spiritum verò
filij nominamus. Ergo Spiritus sanctus non procedit à
filio.

4 Prater. Nihil procedit ab eo, in quo quiescit. Sed
Spiritus sanct. quiescit in filio. Dicitur enim in legenda
beati And. Pax vobis, & vniuersi qui credunt in vnu
Deum patrem, & vnum filium eius vnicum dominum
nostrum Iesum Christum, & in vnum Spiritum sanct.
procedentem ex patre in filio permanentem. Ergo Spi-
ritus sanctus non procedit à filio.

5 Prater. Filius procedit vt verbum: sed spiritus
noster in nobis, non videtur procedere à verbo nostro.
Ergo Spiritus sanct. non procedit à filio.

6 Prater. Spiritus sanctus perfecte procedit à patre.
Ergo superfluum est dicere, quòd procedit à filio.

Li 3. Phys.
2. c. 32. f. da.
† Non pro-
cedit à prin-
cipio. & per
totum lib.

7 Prater. In perpetuis non differunt esse & posse
(vt dicitur in 3. Phys.) & multo minus in diuinis.
Sed Spiritus sanct. potest distingu à filio, etiam si ab eo
non procedat. Dicit enim Ansel. † in lib. de processione
Spiritus sancti. Habent vtrique à patre esse filius & Spi-
ritus sanct. sed diuerso modo: quia alter nascendo, &
alter procedendo, vt alij sint per hoc ab inuicem. Et po-
stea subdit. * Nam si per aliud non essent plures filius
& Spiritus sanct. per hoc solum essent diuersi. Ergo Spi-
ritus sanct. distinguitur à filio ab eo non existens.

* Eodem lo-
co vnic di-
cto.
In symbolo
suo fidei.

Sed contra est, quòd dicit Athanasius. * Spiritus san-
ctus à patre, & filio, non factus, nec creatus, nec geni-
tus, sed procedens.

Q. 27. a. 2.
q. 30. a. 2.

Respond. Dicendum, quòd necesse est dicere Spi-
ritum sanctum à filio esse. Si enim non esset ab eo, nullo
modo posset ab eo personaliter distingu. Quod ex supra
dictis patet. Non enim est possibile dicere, quòd secun-
dum aliquid absolutum, diuina persone ab inuicem di-
stinguantur; quia sequeretur, quod non esset trium
vna essentia. Quicquid enim in diuinis absolute dicitur,
ad vnitatem essentia pertinet. Relinquitur ergo, quòd
solum relationibus, diuina persona ab inuicem distin-
guantur. Relationes autem personas distinguere non
possunt, nisi secundum quòd sunt opposita. Quod ex
hoc patet, quia pater habet duas relationes, quarum
vna refertur ad filium, & alia ad Spiritum sanctum;
quæ tamen, quia non sunt opposita, non constituunt
duas personas, sed ad vnam personam patris tantum
pertinent. Si ergo in filio, & in Spiritu sancto non esset
inuenire nisi duas relationes, quibus vterque refertur
ad patrem, illæ relationes non essent ab inuicem oppo-
sita, sicut neque duas relationes, quibus pater refertur
ad illos. Vnde, sicut persona patris est vna, ita seque-
retur, quòd persona filij, & Spiritus sancti esset vna,

A habens duas relationes oppositas duabus relationibus
patris. Hoc autem est hereticum, cum tollat fidem
Trinitatis. Oportet ergo, quòd filius, & Spiritus san-
ctus, ad inuicem referantur oppositis relationibus.
Non autem possunt esse in diuinis alia relationes oppo-
sita, nisi relationes originis, vt supra probatum est.

* Opposita autem relationes originis, accipiuntur se-
cundum principium, & secundum quòd est à principio.
Relinquitur ergo, quòd necesse est dicere, vel filium esse
à Spiritu sancto (quod nullus dicit) vel Spiritum san-
ctum esse à filio, quòd nos confitemur: & huic quidem
consonat ratio processione vtriusque. Dicitur enim est
supra, * quòd filius procedit per modum intellectus
vt verbum, Spiritus sanctus autem per modum volun-
tatis vt amor. Necesse est autem, quod amor à verbo
procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundum
quòd conceptione mentis apprehendimus: e Vnde & se-
cundum hoc manifestum est, quòd Spiritus sanctus pro-
cedit à filio. Ipse etiam ordo rerum hoc docet. Nusquam
enim hoc inuenimus, quòd ab vno procedant plura ab-
sque ordine nisi in illis solum, quæ materialiter differunt.
Sicut vnus faber producit multos cultellos materiali-
ter ab inuicem distinctos, nullum ordinem habentes
ad inuicem. Sed in rebus, in quibus non est sola mate-
rialis distinctio, semper inuenitur in multitudine pro-
ductorum aliquis ordo. Vnde etiam in ordine creatu-
rarum productarum, decor diuina sapientie manife-
statur. Si ergo ab vna persona patris procedunt dua
personæ scilicet Filius, & Spiritus sanctus, oportet esse
aliquem ordinem eorum ad inuicem. Nec potest ali-
quis ordo alius assignari, nisi ordo nature, quo alius est
ex alio. Non est igitur possibile dicere, quòd Filius,
& Spiritus sanctus sic procedant à Patre, quod neuter
eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in eis mate-
rialem distinctionem, quòd est impossibile. Vnde etiam
ipsi Græci processione Spiritus sancti aliquem ordinem
habere ad filium intelligunt. Concedunt enim Spiritu
sanctum esse spiritum filij, & esse à patre per filium. Et
quidam eorum dicuntur concedere, quòd sit à filio, vel
profluat ab eo, non tamen quòd procedat: quòd vide-
tur, vel ex ignorantia, vel ex proteruita esse. Quia si
quis rectè consideret, inueniet processione verbum inter
omnia, quæ ad originem qualemcunque pertinent,
communissimum esse. Vtitur enim eo ad designandam
qualemcunque originem. Sicut quòd linea procedit à
puncto, radius à sole, riuus à fonte. Et similiter in qui-
buscunque alijs. Vnde ex quocunque alio ad originem
pertinente potest concludi, quòd Spiritus sanctus proce-
dit à filio.

B ut verbum, Spiritus sanctus autem per modum volun-
tatis vt amor. Necesse est autem, quod amor à verbo
procedat. Non enim aliquid amamus, nisi secundum
quòd conceptione mentis apprehendimus: e Vnde & se-
cundum hoc manifestum est, quòd Spiritus sanctus pro-
cedit à filio. Ipse etiam ordo rerum hoc docet. Nusquam
enim hoc inuenimus, quòd ab vno procedant plura ab-
sque ordine nisi in illis solum, quæ materialiter differunt.
Sicut vnus faber producit multos cultellos materiali-
ter ab inuicem distinctos, nullum ordinem habentes
ad inuicem. Sed in rebus, in quibus non est sola mate-
rialis distinctio, semper inuenitur in multitudine pro-
ductorum aliquis ordo. Vnde etiam in ordine creatu-
rarum productarum, decor diuina sapientie manife-
statur. Si ergo ab vna persona patris procedunt dua
personæ scilicet Filius, & Spiritus sanctus, oportet esse
aliquem ordinem eorum ad inuicem. Nec potest ali-
quis ordo alius assignari, nisi ordo nature, quo alius est
ex alio. Non est igitur possibile dicere, quòd Filius,
& Spiritus sanctus sic procedant à Patre, quod neuter
eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in eis mate-
rialem distinctionem, quòd est impossibile. Vnde etiam
ipsi Græci processione Spiritus sancti aliquem ordinem
habere ad filium intelligunt. Concedunt enim Spiritu
sanctum esse spiritum filij, & esse à patre per filium. Et
quidam eorum dicuntur concedere, quòd sit à filio, vel
profluat ab eo, non tamen quòd procedat: quòd vide-
tur, vel ex ignorantia, vel ex proteruita esse. Quia si
quis rectè consideret, inueniet processione verbum inter
omnia, quæ ad originem qualemcunque pertinent,
communissimum esse. Vtitur enim eo ad designandam
qualemcunque originem. Sicut quòd linea procedit à
puncto, radius à sole, riuus à fonte. Et similiter in qui-
buscunque alijs. Vnde ex quocunque alio ad originem
pertinente potest concludi, quòd Spiritus sanctus proce-
dit à filio.

C Ad Primum ergo dicendum, quòd de Deo dicere nò
debemus; quod in sacra scriptura non inuenitur, vel
per verba, vel per sensum. Licet autem per verba
non inueniatur in sacra scriptura, quòd Spiritus san-
ctus procedat à Filio, inuenitur tamen quantum ad
sensum, & praprie, vbi dicit filius, Ioan. 16. de Spi-
ritu sancto loquens; ille me clarificabit, quia de meo ac-
cipiet. Regulariter etiam in sacra scriptura tenendum
est, quòd id, quòd de Patre dicitur, oportet de filio in-
telligi: etiam si dictio exclusiva addatur, nisi solum in
illis, in quibus pater & filius secundum oppositas relatio-
nes distinguuntur. Cum enim Dominus Matth. 11. di-
cit: Nemo nouit filium, nisi pater, non excluditur,
quin filius seipsum cognoscat. Sic igitur, cum dicitur,
quòd Spiritus sanctus à Patre procedit, etiam si adde-
retur, quòd à solo patre procedit, non excluderetur in-
de filius: quia quantum ad hoc, quòd est esse principium
Spiritus sancti, non opponuntur Pater, & filius, sed
solum quantum ad hoc, quòd hic est Pater, & ille Filius.

E Ad Secundum dicendum, quòd in quolibet concilio
institutum fuit symbolum aliquod propter errorem ali-
quem, qui in concilio damnabatur. Vnde sequens
concilium non faciebat aliud symbolum, quam primum:
sed id, quòd implicè continebatur in primo symbolo,
per

2. 23. ar. 4.

q. 27. ar. 2.

q. 4. q. 2.

ar. 4.

162.

c

180.
b

per

per aliqua addita explanabatur contra hereses insur-
gentes. Vnde in determinatione * Calcedonen. synodi
Symboli il dicitur, quod illi, qui fuerint congregati in concilio
hinc, circa
med. habe-
tur, tomo 1.
Concil. que
pud Niceam congregati sunt, inferentes: sed intellectū
sum Colonia eorum aduersus hereticos declarantes. Quia igitur in
imprefsa,
anno Domi-
ni 1550. i
tempore antiquorum conciliorum, nondum exortus
fuerat error dicentium Spiritum sanctum non proce-
dere à Filio, non fuit necessarium, quod hoc explicite
poneretur. Sed postea insurgente errore quorundam,
in quodam concilio in Occidentibus partibus congre-
gato, expressum fuit auctoritate Romani Pontificis, cu-
ius auctoritate etiam antiqua consilia congregaban-
tur. Continebatur tamen implicite in hoc ipso, quod
dicebatur Spiritus sanctus à Patre procedere.

Ad tertium dicendum, quod Spiritum sanctum non
procedere à Filio, primo fuit à Nestorianis introductū,
vt patet in quodam symbolo Nestorianorum, dam-
nato in Ephesina synodo. Et hunc errorem sequutus
fuit Theodoricus Nestorianus, & plures post ipsum.
Inter quos fuit etiam Damasc. Vnde in hoc eius sen-
tentia non est standum. Quamuis à quibusdam dica-
tur, quod Damascen. * sicut non confitetur Spiritum
sanctum esse à Filio, ita etiam nō negat ex vi illo-
rum verborum.

Damasc. in
bist. duorū
mit.

Ad Quartum dicendum, quod per hoc, quod Spiritus
sanctus dicitur quiescere, vel manere in Fi-
lio, non excluditur quin ab eo procedat, quia & Filius in
Patre manere dicitur: cum tamen à Patre procedat.
Dicitur etiam Spiritus sanctus in Filio quiescere, vel si-
cut amor amantis quiescit in amato, vel quantum ad
humanam naturam Christi, propter id quod scriptum
est Io. 1. Super quem videris spiritum descendentem, &
manentem super eum, hic est qui baptizat.

Ad Quintum dicendum, quod verbum, in diuinis,
non accipitur secundum similitudinem verbi vocalis,
à quo non procedit spiritus, quia sic tantum metapho-
ricè diceretur, sed secundum similitudinem verbi men-
talis à quo amor procedit.

Ad Sextum dicendum, quod per hoc, quod Spiritus
sanctus perfecte procedit à Patre, non solum non super-
fluum est dicere, quod Spiritus sanctus procedit à Filio:
sed omnino necessarium, quia vna virtus est Patris, &
Filij. Et quicquid est à Patre, necesse est esse à Filio,
nisi proprietas filiationis repugnet. Non enim filius est
à seipso, licet sit à Patre.

Ad Septimum dicendum, quod Spiritus sanctus di-
stinguitur personaliter à filio in hoc, quod origo vnius
distinguitur ab origine alterius. Sed ipsa differentia
originis est per hoc, quod filius est solum à Patre, Spi-
ritus sanctus verò à patre, & filio. Non enim aliter pro-
cessiones distinguuntur, sicut supra * ostensum est.

In cor. art.
9. 27.

Sensus questii.

DUBITATIONEM hic excitat Caiet. de
duabus questionibus sub vno quaesito
comprehensis, & vnius articuli discursu re-
solutis: cui duabus solutionibus satisfacit,
quas approbat Iaellus, sed magis secun-
dam.

Syluester
arguit.
Syluest. autem carpit rationem dubitandi.
Nam quaestiones (inquit) Caiet. sunt aequales
numero ijs, quae verè scimus: hæc autem qua-
estio est vna, & scita sunt duo. Sed arguit Syl-
uest. Primò. Si duae sunt quaestiones in hoc ar-
ticulo, vt ait Caiet. vanè assumitur, quod
quaestio sit vna, & scita duo. Secundò. Illa
propositio: *Quaestiones aequales sunt &c.* non
sic intelligitur, quasi in vno articulo non scia-
mus nisi vnam conclusionem: sed sic, quod ni-

hil nouiter scimus, quod prius non fuerit no-
bis ignotum, & consequenter quaesibile & du-
bitabile: licet non semper de eo quaestio mouea-
tur.

Verum hæc nimis leuia sunt. Ad hoc enim ten-
dit dubitatio Caietani vt ostendat duo illa qua-
esita in hoc vno implicite clausa, in duo formaliter
& explicite debuisse distingui ab articulariter
scribente. Quamuis igitur duo sint implici-
cite & virtualiter: vnum tamen solum est for-
maliter & implicite quaesitum: quod prima facie
videtur absurdum in articulariter scribente:
cum ipsemet S. Doct. de pot. quest. 10. a. 4. &
5. de hac vna materia duo quaesita proposuerit.
Et iuxta hunc sensum intelligitur dictum illud
Aristot. *Quaestiones sunt aequales numero ijs, quae ve-
rè scimus*: quia scilicet numero scitorum secun-
dum artem tot numero quaesita respondent di-
stincta formaliter & explicite. Et quamuis v-
no discursu sub vnius forma quaesiti plures
quandoque contingat sciri conclusiones; vni
tamen omnes simul æquivalent, quæ ex eiusdem
rei, de qua quaeritur, veritatis cognitione depen-
dent.

Forma Textus.

RESPONDET primò S. Doct. quaesito v-
nica conclusione; deinde arguit Græ-
cos.

CONCLUSIO est. *Necesse est dicere Spiritum
sanctum à Filio esse.* Probatur tribus rationibus.
Prima est. Si Spiritus sanctus non procederet
à filio non posset ab eo personaliter distingui;
sed hoc est hæreticum; ergo & antecedens. Pro-
batur sequela Personæ diuinæ non distinguuntur
ab inuicem per aliquod absolutum sed solum
relationibus oppositis originis secundum esse
principiū & à principio; ergo si Spiritus sanctus
non habet huiusmodi relationem originis à fi-
lio, non distingueretur ab eo personaliter. As-
sumptum quo ad omnes sui partes singulatim
probatur. Vide litteram & Cai. Secundò sic pro-
batur conclusio. Filius procedit per modum
intellectus vt verbum; Spiritus sanctus autem
per modum voluntatis vt amor: at necesse est vt
amor à verbo procedat; ergo necesse est quod
D Spiritus sanctus procedat à filio. Maior probata
est supra questione vigesima septima. Minor autem
probatur; quoniam nihil amamus nisi quod cō-
ceptione mentis apprehendimus. Tertio proba-
tur eadem conclusio. Si ab vna persona patris
procedunt duæ personæ scilicet Filius & Spi-
ritus sanctus; oportet esse aliquem ordinem earum
ad inuicem; at non potest alius ordo assignari,
nisi ordo naturæ, quo alius est ex alio; ergo non
est possibile quod filius & Spiritus S. sic procedant
à Patre, quod neuter eorum procedat ab alio.
Prima propositio probatur dupliciter. Pri-
mò; quia nusquam hoc inuenimus, quod ab vno
procedant plura absque ordine; nisi in illis solū
quæ materialiter differunt. Sicut vnus faber pro-
ducit multos cultellos materialiter differentes,
nullum ordinem habentes ad inuicem; sed in re-
bus in quibus non est sola materialis distinctio,
semper inuenitur in multitudine productorum
aliquis ordo. Secundò probatur eadem propo-
sitiō à simili in creaturis; quoniam etiam in or-
dine creaturarum productarum decor diuinæ
sapientiæ manifestatur.

Deinde S. Thom. arguit Græcos ex ipsis eo-
rum dictis, quæ sunt quatuor. Primum est, pro-
cessio Spiritus sancti aliquem ordinem habet ad
R 2 filium.

Solut.

filium. *Secundum* est: Spiritus sanctus est spiritus filij. *Tertium* est: Spiritus sanctus est à patre per filium. *Quartum* est: quidam eorum dicuntur concedere, quòd Spiritus sanctus sit à filio, vel profluat ab eo; non tamen quòd procedat. Ex quibus dictis arguit eos ignorantia vel proteruita; quoniam secunda pars vltimi dicti repugnat priori parti eiusdem dicti & omnibus alijs; quòd sic probat. Procedere est communissimum inter omnia spectantia ad originem; ergo ex quocunque concessio pertinet ad originem, puta ordine seu esse ab alio seu profluere ab alio, sequitur affirmatio processus; igitur priores affirmationes repugnant negationi processionis. Antecedens probatur; quoniam vtimur nomine processionis ad designandum qualemcunque originem; sicut quòd linea procedit à puncto, radius à sole, riuus à fonte; & similiter in quibuscunque alijs.

Expositio Textus.

ADVERSUS errorem Græcorum negantium Spiritum sanctum à filio procedere disputat accuratissimè S. D. de potentia q. 10. art. 4. & 5. & in 4. contra gentiles cap. 24. & 25. & alibi saepe, cuius diligentiam imitati sunt recentiores eius interpretes Torres, Ban. Zumellus, Mol. Val. Vasq. disp. 146. & Suarez lib. 10. de Trin. cap. 1. qui sacrarum litterarum oracula, SS. Patrum tam Latinorum quam Græcorum dicta, Conciliorum generalium decreta ad fidei, veritatem confirmandam & schismaticorum errores confutandos summa diligentia collegerunt, & subtiliter ac prudenter examinarunt: adeo vt actum agere videatur quisquis ad huius argumenti materiam amplius illustrandam, noua conferre tentauerit. Videat igitur quicunque voluerit, apud prædictos interpretes amplissimam locorum suam catholicam veritatem absolutissimè comprobantem. Quem sensum habuerint Græci catholici dicentes Spiritum S. à patre procedere, non autem à filio: explicat S. Th. in 1. dist. 12. q. vnica a. 2 quia scilicet dictio illa, à, denotat relationem ad primam originem &c.

PRIMA CONTROVERSIA.

An si Spiritus sanctus non procederet à filio distingueretur realiter ab eo?

An hæc questio sit admittenda.

QUIDAM Gotifredus quol. 2. q. 4. à Scoto relatus, & Greg. in 1. dist. 11. q. 2. & Gabriel. *ibidem*, quibus etiã fauet Torres, existimant quæstionem hanc, vt proposita est, nulla ratione esse admittendam: eo quòd nulla positio includens impossibilia sit admittenda; quia statim respondens redarguitur, & nihil utilitatis ex tali quæstione percipitur: hæc autem quæstio claudit impossibilia; ergo non est admittenda. Probat minorem; quia summè necessarium est Spiritum S. procedere à filio; ergo summè impossibile est ipsum à filio non procedere; ergo ponere quòd non procedat, est ponere impossibilia.

Suarez lib. 10. de Trinitate cap. 2. num. 10. & sequentibus ait: si Spiritus S. non procederet à filio, per locum intrinsecum sequi personam Spiritus S. non fuisse futuram hanc numero, quæ nunc est: ac proinde neque filium eundem numero su-

turum. Rationem affert præcipuam ex Arimæni; quia hæc numero processio per se est à patre & filio: ita vt vtraque relatio sit necessaria conditio ex parte principij huius personæ scilicet Spiritus S. at si Spiritus S. non procederet à filio, iam filiatio non esset conditio necessaria; ergo nec processio terminaretur ad eandem numero personam, ad quam nunc terminatur; ergo nec esset eadem numero processio: & eadem ratione hæc filiatio, quæ nunc constituit hanc numero secundam personam; & est sufficiens ratio terminandi habitudinem processionis ad ipsam, posita illa hypothesi non esset talis, & consequenter nec eadem numero. Et ex his deducit propositam quæstionem hypotheticam, si Spiritus S. non procederet à filio, an distingueretur ab illo, non posse strictè & limitatè intelligi de his personis numero, quæ nunc sunt. Sic enim (inquit) hypothesis manifestam inuoluit contradictionem; ex qua vtrumque inferri potest, nimirum tales personas esse distinctas, quia supponuntur esse eadem numero quæ nunc sunt, & non esse distinctas, quia supponuntur non habere originem inter se, quam nunc habent. Concludit igitur sensum quæstionis esse debere: an loquendo præcisè & abstractè modo nostro concipiendi de processione verbi & amoris, siue in his personis, siue in quacunque, quæ à nobis concipi aut fingi possit, tunc distingueretur amor procedens à verbo, si ab illo non procederet, sed à patre tantum. Nam prior (inquit) sensus supponit realem processionem vnius personæ ab alia; & inde infert reliqua; nos autem volumus ex distinctione inferre processionem.

Sed in primis vanam esse Gotifredi sententiam facile conuinci potest ex autoritate Sanctorum & Doctorum, qui hanc difficultatem aut similes pertractarunt. Nam S. Aug. in 5. de Trinitate ca. 5. similem positionem admittit dicens: Si pater filium non genuisset, nihil prohiberet ipsum dicere ingentium: & tamen omnino impossibile est patrem non generare filium. Et Ricardus in 3. de Trinitate cap. 16. ait: Si in diuinis vna sola persona esset, nihil prohiberet eam habere plenitudinem sapientie & intellectus: cum tamen sit omninò impossibile non esse trinitatem personarum in diuinis. S. Tho. de potentia Dei q. 10. a. 5. ex professo tractat hanc difficultatem, & cum eo passim omnes Doctores scholastici. Et præterea vtilissima est hæc controversia, vt dicemus in expositione tituli, ad cognoscendum an filius distinguatur filiatione an spiratione à Spiritu S. & similiter de Patre, an scilicet paternitate, vel spiratione distinguatur à Spiritu S.

Igitur ad rationem Gotifredi respondendum est præmissa duplici distinctione. Prima est. Duplex est consequentia; Vna in qua subiectum consequentis prædicatur in primo modo de subiecto antecedentis: vt cum dico, homo est, ergo animal est: nam animal, quod est subiectum consequentis, prædicatur in primo modo de homine, quod est subiectum antecedentis. Hanc consequentiam appellat Scotus consequentiam essentialem & intrinsecam; quia consequens est de essentia & de intrinseca ratione antecedentis. Alia est consequentia in qua subiectum consequentis non prædicatur in primo modo de subiecto antecedentis, sed in secundo: vt hæc, homo est, ergo risibile est, ergo admiratum est. Hanc consequentiam appellat Scotus accidentalè & extrinsecam: quoniam consequens non est de intrinseca ratione antecedentis. Secunda distinctio est. Positiones sunt in duplici differentia: Quædam duplex, ex qui-

Consulatur
sententia Go-
tifredi, &
probatur
quæstionem
esse admi-
tendam.

consequen-
tia duplex.

Positio duplex.
Positiones sunt in duplici differentia: Quædam duplex, ex qui-

ex quibus nulla sequitur contradictio, ut si ponamus coruum vel aethiopem album, & cignum nigrum. Alia sunt ex quibus contradictio necessario sequitur: quae duplices sunt; Nam quaedam sunt quae statim in suo intellectu contradictoria claudunt: quales sunt haec color albus non est disgregatiuus: risibile non habet potentiam ad ridendum: homo non est rationalis; quonia ex ratione intrinseca terminorum sequitur per consequentiam essentialem contradictoria harum propositionum. Nam album est quod ex sua essentiali & intrinseca ratione est disgregatiuum: & similiter risibile ex sua intrinseca ratione dicit potentiam ad ridendum: & homo dicit rationale. Alia vero sunt ex quibus sequitur contradictio, sed per consequentiam extrinsecam & accidentalem: & talis est haec suppositio: homo non est risibilis; ex qua per locum, extrinsecum, siue per consequentiam extrinsecam sequitur hominem esse risibilem, quod est contradictorium suppositionis. Nam si homo est, ergo est etiam risibile, quod est propria hominis passio.

Soluitur ratio Gotifredi.

Ex his duabus distinctionibus facile soluitur argumentum Gotifredi. Nam positiones quae statim in suo intellectu contradictionem inuoluunt, non sunt admittendae: quoniam eis admittis cogitur statim respondens oppositum concedere positionis admittae. Nam qui concesserit risibile non habere potentiam ad ridendum, statim ex ipsa ratione terminorum de oppositi veritate contradictorij conuincitur; claudit enim in risibili facultas ad ridendum intrinsece. At vero positiones ex quibus sequitur alterum contradictorium, sed per extrinsecam consequentiam, siue per locum extrinsecum, admitti communiter ab Arist. & excellentibus viris consueuerunt: ut patet in 7. & 8. *Physicorum*: cum nihilominus eis admittis integra maneant iura disputantium; nam admisso eo, quod ex positione sequitur per essentialem consequentiam, neganda erit illatio repugnantis, siue contradictorij, quod per consequentiam extrinsecam expositione deducitur. Si enim aduerfario tecum disputanti suppositionem hanc, hominem non esse risibile admittis: teneris illud omne concedere quod per locum intrinsecum ex ea positione deducitur: ut hominem carere potentia ridendi; sed si deduxerit disputator oppositum, nimirum hominem esse risibilem, arguendo a positione subiecti ad positionem proprie passionis verè negabis consequentiam ut accidentalem, & per locum intrinsecum minimè deductam. Igitur in proposito nostro, positio nostrae controuersiae expressa in illo antecedente: *Si Spiritus sanctus a filio non procederet*: pertinet ad positiones secundi generis, ad eas scilicet ex quibus per consequentiam extrinsecam sequitur contradictorium. Nam secundum modum nostrum intelligendi spiratio actiua non est de intrinseca ratione filij, nec ut filius est, neque ut persona est: sed se habet instar passionis communis Patri & Filio; & ideo remota per intellectum a filio spiratione, non statuuntur duo contradictoria ex ipsa ratione terminorum, sed alterum tantum scilicet filium esse, aut non spirare: alterum verò contradictorium scilicet filium non esse, aut filium spirare sola deducitur accidentaliter consequentia. Ablata siquidem propria passione, aut eo quod modum induit passionis, definit esse subiectum: & posito subiecto, passio pullulat necessario. Neque etiam praecisa per intellectum Spiritus S. processio a filio tollitur euidenter: formalis & propria

ratio Spiritus S. ita ut suppositio in tali praecisione fundata repugnet ex terminis cum proprio & formali constitutiuo Spiritus S. de cuius ratione tantum est spirari per actum voluntatis; quod verò spiretur etiam a filio, ad intrinsecam rationem constitutiuo Spiritus S. minimè pertinet, aut saltem non est euidenter pertinere; cum spiratus dicat habitudinem ad spirantem ut sic, quisquis ille sit, siue Pater solus, siue pater & filius: Igitur talis positio de omni iure est admittenda: ac proinde quaestio praesens, *an si Spiritus S. non procederet a filio, distingueretur realiter ab eo?* Si verò in praesenti supponeretur spiratorem non spirare, statim pugnantia clauderetur expressè in ipsa ratione terminorum: contradictio enim est, cum qui spirat non spirare; quoniam spirator intrinsece claudit actum spirandi. Igitur per locum intrinsecum & essentialem consequentiam ex spiratore deducitur actus spirandi siue spirare. Est itaque manifesta contradictio spiratorem non spirare: nec ab ullo sani capitis haec esset admittenda suppositio. De hac autem, filius non spirat, alia est ratio, ut ante diximus.

Sententia verò modus dicendi Suar. plura continet, quae mihi minimè probantur. Primum est, quia supponit ut certum id quod parem habet cum ipsa principali controuersia difficultatem; nam Henricus & Scotus, qui partem sustinent affirmantem quaestionis propositae, existimant etiam futuras eadem numero in Trinitate personas admittis illa hypothese, quod SS. a filio non procederet. Ad rationem autem Ariminensis respondent falsam esse maiorem propositionem intellectam formaliter & per se in primo modo. Secundum est, quia sensus ab hoc authore propositus est contra intentionem disputantium, qui de personis nunc existentibus quaestionem proponunt & examinant. Tertium, quia aequè implicat contradictionem esse alias personas in diuinis ab his, quae nunc sunt: & alium esse filium numero distinctum ab eo qui nunc est: & similiter alium Spiritum sanctum, ut patet infra q. 41. a. 6. Sicut secundum Suar. repugnat Spiritum S. qui nunc est a filio non procedere. Denique falsum est priorem sensum supponere realem processionem vnus personae ab alia, sed oppositum supponit, ut patet ex verbis quaesiti, videlicet si Spiritus S. non procederet a filio. Quod autem addit Suarez se velle in hac quaestione ex distinctione inferre processionem; manifestè pugnat cum terminis in ipsa quaestione propositis: in qua ex affirmatione aut negatione processionis Spiritus S. a filio, quaeritur distinctio realis inter Spiritum S. & Filium.

QUAERIMVS igitur, *an si Spiritus S. non procederet a filio, distingueretur realiter ab eo?* Cuius quaesiti sensus explicabitur optimè, si disputantium aperietur intentio. Ea verò est, ut intelligant per quid filius a Spiritu S. distinguitur. Nam cum in filio sint duae relationes scilicet filiatio & spiratio actiua: dubium est, an praedicta distinctio filij a Spiritu sancto fiat per solam spirationem actiuam, an etiam per filiationem. Nam si filiatio secundum se est sufficiens ratio praefatae distinctionis, sequitur ut praecisa spiratione actiua a Filio, adhuc a Spiritu sancto remaneat filiatione distinctus: at verò si admittis dicta suppositione distinguitur filius a Spiritu S. sequitur euidenter, ut modo per eandem filiationem re ipsa distinguatur a Spiritu S. Si quidem eadem filiatio modo est in filio, quae esset in eo, si non spiraret Spiritum S. Quod verò id rectè sequatur, patet a simili: Nam si seclusa risibilitate ab

Suar. 2. 2. sententia confirmatur.

homine, sola rationalitate in ipso manente distingueretur homo ab equo: recte sequitur re ipsa distingui hominē ab ipso equo per rationalitatem: eadem enim omnino manente causa, sequi necesse est eundem effectum.

Sententia Doctorum.

GRAECI negantes Spiritum S. à Filio procedere, distinctionem tamen eius realem à filio catholicè confitentur. Dicunt enim Spiritum S. realiter à verbo distingui; quamvis ab eo non procedat.

Ex Latinis autem praesertim scholasticis affirmantibus Spiritum S. à verbo procedere quatuor fuere sententia. Prima est Gregorij Ariminensis à recentioribus relata, qui in 1. dist. 12. q. 2. a. 2. ait facta illa hypothesi, Spiritum S. non esse, & ideo non distingui à filio. Ait enim Spiritus Patris & Filij, & nexus amborum: & similiter Filium esse per se principium Spiritus S. Itaque si filius non spiraret Spiritum S. non posset esse Spiritus S. quoniam remoto influxu principij per se, cessat necessariò terminus eius.

Gabriel verò in eadem dist. & q. ait, quòd, si filius non spiraret Spiritum S. ipse filius non esset; quia de eius ratione est nedum filiatio, sed etiam spiratio. Ait praeterea Gregorius: Facta suppositione, quòd remaneret in suo esse filius & Spiritus S. & filius non spiraret, sequi utrumque contradictionis membrum: eo quòd antecedens contradictionem inuoluat. Ait igitur fore tunc filium & Spiritum S. personas realiter proprijs entitatibus ab inuicem distinctas: & ex eodem supposito sequi minimè distingui dictas personas ob dictam causam: quia videlicet, si Spiritus S. non procederet à filio, iam non esset Spiritus S. Qua loquendi forma significat positionem illam non esse admittendam: cuius oppositum iam supra satis ostendimus.

Secunda sententia est Scoti in 1. dist. 11. q. 2. qui ait: Admissa illa hypothesi, videlicet Spiritum S. à filio non procedere, fore nihilominus ab eo realiter distinctum: esset enim secundum Scotum filiaro sufficiens causa, & ratio realis distinctionis filij à Spiritu S. quia secundum eum filius ex duplici capite distinguitur realiter à Spiritu S. primò ratione spirationis actiuae; secundo ratione filiationis. Hæc sententia fuit Henrici quol. 5. quam sequitur Cartusianus in 1. dist. 11. q. vnica & omnes Scoti discipuli.

Tertia sententia est S. Thom. qui in hoc 4. & vbiunque versat hanc quaestionem ait: Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab eo. Quam etià sequitur Aegidius & Dur. & Horneus in 1. dist. 11.

Valentia statuens se quasi medium & conciliatorem D. Th. & Scoti distinguit dicēs quaestionem hanc dupliciter posse tractari. Vno modo merè metaphysicè, videlicet per rationes peritas ex solo lumine naturali, supposita tamen reuelatione fidei de vnitae essentiae & trinitate distinctarum personarum. Altero modo Theologicè, videlicet per rationes, quæ non solum procedant ex principijs notis lumine naturali, sed etiam sumantur ex aliqua propositione reuelata. Si primò (inquit) modo quaestio tractetur, sensus illius erit. Vtrum ex his tantummodo, quæ de Deo naturaliter nota sunt, probari possit non posse aliter distingui diuinas personas, quam per relationes originis: & in hoc sensu vera est sententia Scoti: quoniam (inquit) nihil obstat, quo minus ex vi luminis naturalis facta tali suppositione posset intelligi distingui personas aliter, quam per

A origines vel per oppositas relationes. Si autem tractetur hæc quaestio Theologicè, vtendo scilicet rationibus, quæ procedant ex principijs reuelatis: sic procul dubio (inquit) sententia S. Thom. est verissima. Et quoniam Scotus & qui eum sequuntur, videntur voluisse hanc quaestionem Theologicè disputare: ideo (inquit) eorum sententia simpliciter est rejcienda.

Vasquez & Suarez, quamvis nobiscum in conclusione conueniant, rationes tamen impugnant quibus eam probant D. Thom. & Caiet.

B SCIENDVM est primò ex D. Thom. de pot. q. 10. a. 5. oppositionem affirmationis & negationis non esse sufficientem distinctionis causam inter entia: quia talis oppositio sequitur distinctionem, eo quòd omne ens ab altero distinguitur per aliquid sibi inherens substantialiter, vel accidentaliter: Ex distinctione verò sequitur hoc non esse hoc, siue vnum non esse aliud: quòbrem etià veritas cuiuslibet negatiuae veritate praesupponit affirmatiuam, & in ea fundatur: huius enim negatiuae veritas Ethiops non est albus, fundatur super veritate huius affirmatiuae Ethiops est niger. Omnis igitur differentia, quæ est per oppositionem affirmationis & negationis, reducitur in differentiam alicuius affirmatiuae oppositionis. Ex quo deducit S. D. primam rationem distinctionis inter filium & Spiritum S. esse non posse ex hoc, quòd filius est genitus nõ spiratus: ille verò spiratus & non genitus; sed necesse esse praetelligi distinctionem inter generationem & spirationem, & inter filium & Spiritum S. per aliquam oppositionem duarum affirmationum. Quam doctrinam explicat Ferrar. in 4. contra gent. cap. 24. §. Circa illam, & §. Pro declaratione. Ex qua patet intellectus resolutionis factæ ab eodem S. D. in quol. 4. q. 4. a. 7. vbi ait filium distingui filiatione à Spiritu S. per hoc, quòd Spiritus S. non habet filiationem, quam filius habet. Plura de hac materia diximus in praecedentibus ex D. Thom. & Caiet. in post praedicamentis cap. de oppositis.

Resolutio. Ex natura relationis ostenditur nullam esse oppositionem in diuisis nisi per oppositionem relationum formaliter.

D Secundo considerandum est ex Cai. & Ferrar. in dicto cap. & alijs recentioribus hanc esse differentiam inter quidditatem suæ naturam aut formam absolutam & quidditatem suæ formam relatiuam; quòd forma absoluta rem constituit absolutam, quæ est & dicitur ad se suæ in se aut secundum se & non in ordine ad alterum: forma verò relatiua rem constituit relatiuam, quæ hoc ipsum quod est ad alterum est & dicitur. Et quoniam vnitas est adæquata passio entis, necesse est vt vnumquodque eo modo quo est ens, sit etiam vnum: & vt constitutum entis sit etiam eodem modo constitutum vnus. Ratio verò formalis vnus in hoc posita est, vt res quæ dicitur vna, sit in se ipsa indistincta, & à qualibet alia distincta. Quòd igitur constituit ens absolutum, quòd est ens ad se suæ secundum se, distinguit etiam illud absolute suæ secundum se: ac proinde distinctum ab vniuersis alijs. Quòd verò constituit ens relatiuum, quòd est ens ad alterum, id est ad terminum suæ correlatiuum, distinguit illud à termino tantum: alioquin latior esset distinctio, quam entitas in relatiuo.

E Vbi aduerte nos cum Cai. & alijs formaliter loqui de distinctione absoluta & relatiua vt sic; nam si de tali absoluta sermo sit, puta rei existentis in genere determinato, docet S. Th. quol. 4. q. 4. a. 7. distinctionem absolutam & positinam eorū, quæ sub vno genere continentur, quia est per for-

formas oppositas ad illud genus pertinentes, non esse nisi à speciebus sub eodem genere contentis. Sicut Saphyrus distinguitur sua forma ab omnibus alijs speciebus lapidum: quamvis distinctione negatiua distinguatur ab omnibus alijs entibus non habentibus illam formam. Distinctio vero relatiua formaliter per formam siue quidditatem relatiuam à solo fit correlatiuo. Nam exempli gratia duplum vt duplum ad dimidium tantum dicitur; & duplicitate ab eo solo relatiuè distinguitur; sed eadem duplicitate distinguitur etiam à triplo & quadruplo, ab albedine, nigredine, lapide, cælo &c. non relatiuè sed disparate, quatenus est hoc ens. Et quoniam diuinæ personæ formaliter relationes sunt in vno numero essentia copulata; non potest inter eas esse distinctio, nisi relatiua; ideo falsa est formaliter & simpliciter hæc propositio: Filius distinguitur realiter filiatione à Spiritu sancto; quoniam hæc alia est falsa: Filius distinguitur filiatione relatiuè à Spiritu S. quamvis hæc alia sit vera: Filius distinguitur filiatione à Spiritu S. Sed hæc distinctio disparata est, & non realis formaliter loquendo, sed formalis siue secundum rationem tantum. Nam distinctio tota realis filij & filiationis à Spiritu S. & processione quæ relatio est constitutiua Spiritus S. à spiratione dependet; qua præcisa, sola formalis siue rationis distinctio remaneret. Sed hanc doctrinam rejciunt non solum Scoti, sed etiam recentiores quidam interpretes S. Th. l. Valq. hic. c. 5. & 7. & Suarez. li. 7. c. 4. quorum argumenta suo loco adducemus & soluemus.

Rada resp. Rada in sua controu. 15. respondet dicens rem relatiuam constitui per relationem in esse relatiuo, non solum in ordine ad correlatiuum, sed etiam in ordine ad quodcunque aliud: licet ad ipsum relatiuè non referatur: ac proinde distingui relatione à quocunque alio: sicut etiam (inquit) res non solum est relatiua comparata ad correlatiuum, sed etiam ad quodcunque aliud; quoniam comparatio rei ad aliud non destruit illud sed supponit. Sed hæc responsio destruit naturam & definitionem relatiuorum assignatam ab Arist. in prædic. hæc verò est: Ad aliquid sunt, quæ hoc ipsum quod sunt, ad aliud dicuntur: & subdit exempla Arist. vt manus id quod est alterius dicitur: aliquo enim manus dicitur: & duplum alterius dicitur, hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum dicitur: & in 5. Metaph. cap. de ad aliquid expressis declarans quomodo relatiua dicantur ad aliud, exprimit terminos singulorum modorum relationis, dicens: vt duplum ad dimidium, vt calefactiuum ad calefactibile, vt mensurabile ad mensuram. Ex quibus sic argumentor: Natura cuiuscunque rei inest ei ex proprio constitutiuo: sed natura relatiuorum est vt hoc ipsum quod sunt ad vnum tantum terminum dicantur. i. correlatiuum; ergo hoc habet ex proprio constitutiuo; ergo constitutiuum relatiui scilicet relatio constituit relatiuum tantummodo in ordine ad aliud scilicet correlatiuum.

Confus. Maior euidens est, nec indiget probatione, nisi quis neget propriam rationem constitutiui. Minor est Aristotelis in locis allegatis: igitur præfati Doctores responsio falsa est. Ratio verò eius satis puerilis est: Nam comparari ad aliud contingit dupliciter. Vno modo ex natura rei; & hoc est ex natura rei habere ordinem ad illud: & hoc modo comparatur relatiuum soli correlatiuo. Alio modo per opus intellectus: & sic potest cui libet comparari. Rursum relatiuum vt relatiuum comparari ad aliud contingit dupliciter. Vno modo vt relatiuum in actu exercito, id est se-

undum rationem formalem relatiuam relatiuè exercitam, aut possibilem exerceri: & sic comparatur tantum ad correlatiuum, in ordine ad quod exercet actum referendi. Alio modo vt relatiuum, id est, secundum rationem formalem relatiuam formaliter, sed non relatiuè exercitam aut possibilem exerceri in ordine ad id, cui comparatur: & sic comparatur vt quædam res & quidditas cuiuscunque alteri ab eo quocunque modo distincto: tametsi in ordine ad illud non exerceat actum relationis. Sicut in humanis paternitas vt paternitas, vt relatio formaliter comparatur lapidi: non tamen vt ad lapidem relata, sed vt diuersa realiter & formaliter à lapide. Vnde relatio non distinguit relatiuè, nisi à correlatiuo in ordine ad quod solum exercet proprium actum referendi; ab alijs autem disparate vel quacunque alia distinctione, quæ non est relatiua formaliter. Iam autem ostendimus in diuinis nullam aliam esse posse realem distinctionem, nisi per oppositionem relatiuam formaliter.

Tertio notandum est, inter personam creatam & personam increatam siue diuinam hanc esse differentiam: quod persona creata est absoluta & per aliquid absolutum in suo esse personali constituitur, & à qualibet alia distinguitur; persona verò diuina relatiua est, & relatione formaliter constituitur, & eadem relatione vt relatio est, ab alia persona diuina distinguitur. Dixi autem vt relatio est; quoniam vt hic aduertit Caietanus relationi potest dupliciter aliquid conuenire. Vno modo secundum propriam rationem relationis; & hoc, quod ita conuenit relationi, attribuitur ei quatenus relatio est, prout distinguitur ab absolutis: propria verò ratio relationis, qua distinguitur ab absolutis, est respectus ad terminum, in quo consistit oppositio relatiua. Alio modo conuenit aliquid relationi secundum rationem eidem & absolutis communem, puta secundum rationem entis, boni, forme, proprietatis &c. & hoc quod ita conuenit non oportet relationi conuenire vt relatio est: sicut quod conuenit homini vt substantia, non conuenit homini, vt homo est formaliter. Diuinarum igitur personarum constitutio & distinctio, quæ diuinis attribuitur relationibus, de relationibus, quatenus relationes sunt, intelligenda est: cum illis attribuatur per se, & prout ab essentia & à cæteris absolutis ratione distinguuntur. Certum est autem relatiuam distinctionem esse non posse, aut etiam intelligi absque oppositione relatiua, quæ est respectu correlatiui tantum. Sequitur itaque solam oppositionem relatiuam distinguere realiter diuinas personas ab inuicem. Quapropter Ecclesiæ doctrina de vnitæ substantia, & distinctione relatiua personarum in Deo, quæ habetur in cap. firmiter, de summa Trinit. & fide Catholica formaliter intelligenda est de distinctione propria relatiuis, vt relatiua sunt: quæ distinctio absque relatiua oppositione nec esse, nec intelligi potest; omnis etenim alia distinctio communis est relatiuis & absolutis. Vnde merito Cai. ex iam dicta Ecclesiæ doctrina firmum trahit argumentum ad probandum solam oppositionem relatiuam distinguere personas realiter in diuinis.

Quarto obseruandum est cum Caiet. distinguere personaliter idem esse quod facere personam distinctam. Et quemadmodum dupliciter contingit facere personam distinctam; Vno modo faciendi simul vtrumque, i. personam & distinctio-

Explicit notandum constitutiua distinctio diuinarum personarum, per comparationem ad creatam.

R. 4. nem;

nem; Alio modo faciendo alterum tantum, scilicet distinctionem in persona iam præexistente: ita dupliciter cōtingit distinguere personaliter; Vno modo constituendo personam, & formaliter illam ab alia distinguendo; Alio modo præsupposita iam persona constituta, solam eius distinctionem ab altera formaliter faciendo. Sicut etiam dupliciter efficit potest domus alba; Vno modo simul faciendo domum & albedinem; Alio modo factę iam domui calorem albedinis inducendo. Quod igitur distinguit personaliter priori modo, oportet esse de ratione personalitate verò distinctiuum non est spiratio respectu Patris & Filij, quos personaliter à Spiritu S. distinguit. Quod verò personaliter distinguit posteriori modo, non est necesse, vt sit de ratione personalitate; sed satis est, vt notio sit persona relatiua: quę licet non vnā hypostasim, vnū tamen constituit spiratorem, qui est pater & filius. Itaque spiratio non est personę constitutiua, cū tamen personaliter distinguit Patrem & Filium à Spiritu S. Cū igitur ait S. D. quia paternitas & spiratio non sunt oppositę, non constituunt duas personas, verbum illud constituunt, determinat dictionem illam, duas, non autem nomen illud, personarum: nisi quatenus duę sunt secundum rem; & est sensus: paternitas & spiratio, quia non sunt oppositę, non constituunt duas personas, id est non faciunt distinctionem realem personarum; formaliter enim loquēdo, constituere duo vt sic, idem est, quōd ea ita distinguere, vt duo simpliciter & verē sint & dici possint.

Quintō aduertendum est, propositionem illam D. Thom. sæpe repetitam: *sola oppositio relatiua facit realem distinctionem inter relationes, & inter personas diuinas*: non ita intelligendam esse, vt oporteat omnes relationes diuinas realiter distinctas ex suis rationibus formalibus opponi relationi. id est se mutuo referri: id enim fallum est; quoniam filiatio & similiter paternitas à processione realiter distinguuntur, & tamen ad illam ex proprijs rationibus formalibus realem oppositionem non habent: sed multipliciter exponi potest: Primò, si dicamus rationem distinguendi inter ea quę realiter in diuinis distincta sunt esse oppositionem relatiuam, non tamen rem omnem realiter ab alia distinctam esse illi secundum se, siue ex propria ratione oppositam relatiuę. Secundò dici potest cum Ferrar. in 4. contra gentes, ca. 24. satis esse ad distinctionem, si alteri distinctorum tanquam supposito subsistenti in sit opposita relatio, sicut in re proposita, filiatio, quę est relatio subsistens, inest spiratio processioni opposita, per quā filiatio realiter à processione distinguitur. Quamobrem, vt ait Ferrar. dici potest filiatiōem opponi processioni relatiuę subiectiuę: etsi non opponatur relatiuę formaliter. Et hoc est, quod ait S. D. de potent. q. 10. a. 5. ad 13. vbi sic loquitur: *licet filiatio non opponatur relatiuę processioni, tamen procedens opponitur relatiuę filio: & per hoc processio à filiatiōe distinguitur*: Hanc doctrinam late explicat Molina disp. 3. §. Altero ergo duorum modorum &c. Eandem doctrinam sequitur Bannes dubi. 3. super hoc art. in fine dicens distinctionem filiatiōis à processione esse realem per accidens, scilicet ratione spirationis, quę opponitur processioni, & eadem est realiter filiatiōi. Tertiò dici potest cum Cai. sup. a. q. 30. a. 2. ad 2. dubitationem, distinctionem omnem fieri in diuinis per oppositionem relatiuam, vel per oppositionem originis. Priorem oppositionem habet filius ad patrem; Posteriorem autem habet ad Spiritum sanctum. Et idem dicendum est de

relationibus filiatiōis, paternitatis & processio- nis. Vide Cai. in d. loco, quem hic sequitur Bann. & explicat Molina.

Postremò recolenda sunt diligenter quę supra diximus qu. 27. ar. 3. dubi. 2. de ordine originis inter emanationes, siue processiones diuinas, & art. 4. controuers. 2. de eisdem processioibus actiuę & passiue, completę & incompletę sumptis: quam doctrinam ex parte proponit hic in substantia Caiet. & explicat Bannes ad 4. suum argum.

PRIMA CONCL. Constitutum in esse relatiuo non distinguit constitutum distinctione relatiua nisi à correlatiuo. Hęc conclusio probata fuit in secundo fundamento: & argumentum pro ea precipuum illud est quod hic affertur à Cai.

SECUNDA CONCL. In rebus creatis constitutum in esse relatiuo distinguit constitutum realiter ab alijs speciebus eiusdem generis distinctione disparatę siue magis distinctione, quę est per oppositionem contrariam: qualis est inter diuersas species eiusdem generis, quod in eas distinguitur per contrarias differentias; à ceteris autem generibus absolutis distinguitur distinctione negatiua, quę est per habere & non habere. Prior pars probatur; quia quodlibet genus in suas species diuiditur per contrarias differentias; igitur etiam relatio. Et manifestatur exemplo: Nam relatio in vnitatem fundata diuiditur in relationem identitatis specificę vel genericę, in equalitatem & similitudinem: quę diuisio eodem modo fit per differentias, sicut aliorum generum diuisiones; ergo differentię eodē modo contrarię sunt. scilicet secundum communem radicem contrarietatis, quę est priuatio & habitus, siue excellentia & defectus, quę saltem ratione fundamentorum necesse est relationibus conuenire. Posterior verò pars habetur ex doctrina D. Th. quol. sup. alg.

TERCIA CONCL. Sola oppositio relatiua originis distinguit realiter personas & relationes in diuinis. Probatur primò ex discursu Cai. Quęcunque attribuuntur singulariter diuinis relationibus, necesse est conuenire eis in quantum relationes sunt: sed diuinis relationibus singulariter attribuitur personarum distinctio; ergo eis attribuitur in quantum relationes sunt; Tunc ultra: distinctio relatiua vt sic non est sine oppositione relatiua & respectu correlatiui tantum; ergo sola oppositio relatiua distinguit personas in diuinis. Maior patet ex dictis; quoniam alia, quę non conueniunt relationibus vt sunt relationes, sunt communia relationibus & absolutis: & ideo non attribuerentur singulariter diuinis relationibus. Minor autem probatur primò authoritate Ecclesię, quę tradit vnitatem substantię & Trinitatem rerum relatarum; & cū formaliter loquatur, formaliter etiam debet intelligi de rebus relatis vt sic; & consequenter ex hoc ipso, quod nõ tradit nisi distinctionem relatiuorum, intelligi debet hęc distinctio de relatiuis, quatenus relatiua sunt: quod saluari non potest (vt notat Cai.) à Scotistis dicentibus res quidem distinctas esse relatiuas, & tamen distingui absque oppositione relatiua; quia sunt disparatę & incompossibiles. Hęc enim communia sunt & non propria relatiuis vt sic. Secundò probatur ex sacris litteris, quę vbiq; tradunt diuinarum personarum in omnibus vnitatem, præterquam in ijs proprietatibus siue rationibus, quę per singularū personarum nomina significatur, videlicet Patris & filij & Spiritus S. Hęc autem certum est esse nomina relatiua. i. rationes siue proprietates relatiuas formaliter vt se subsistentes significat. Loc.

Conclusio- nes deduc- tæ, & probatę.

cus est insignis i. Ioannis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.* & Ioann. 17. vbi Dominus ad Patrem loquens ait: *Mea omnia tua sunt:* quibus verbis id omne tribus personis significatur esse commune, quod absolutum est: id verò solum esse cuique proprium, quod proprijs cuiusque significatur nominibus scilicet Patris & Filij & Spiritus S. quibus formaliter relationes significantur originis. *Tertio* probatur eadem conclusio auctoritatibus Sanctorum Aug. li. 7. de *Trim. c. vlt.* & *lib. 15. c. 14.* Athan. *contra Anomæos, Nazianz. orat. 5. de Theologia, Basil. lib. 2. contra Eunomium, Ansel. lib. 2. de processione Spiritus S. cap. 1. & 2.* qui etiam in *ep. contra Grecos cap. 3.* communi illo vitur Theologorum proloquio: *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio;* Igitur sola relatiua oppositio distinguit realiter diuinas personas.

Rada resp.

Sed respondet Rada. Primò Anselmum nomine oppositionis relatiuæ intelligere repugnantiam relationis cum relatione: siue illa sit repugnantia relatiua, qualis est inter paternitatem & filiationem: siue sit disparata, vt inter filiationem & processionem. Probat ex Anselmo: quia proposito dicto axioma affirmat filium opponi Spiritui sancto; quia ipse est de Patre nascendo, Spiritus verò de patre procedendo. *Secundo* ait: Verum est dictum Anselmi de facto. *Tertio*, licet filiatio & paternitas non opponantur per se primò processioni Spiritus sancti: opponi tamen per se secundò ratione spirationis ætenuæ. Primam responsionem latius explicat & corroborat Vasq. *cap. 4. ex dictis Anselmi & approbat Suar. lib. 10. c. 2.*

Confutatur resp. Rada, & Vasq.

Sed expositio S. D. quam hic ad 7. & de pot. q. 10. a. 5. ad 2. adhibet verbis Anselmi confutat sufficienter Radæ & Vasquezij solutionem & obiecta ex eiusdem Doctoris verbis accepta. Sic enim ait *artic. illo 5. de potentia ad 2.* Id quod dicit Anselmus, quod filius, & Spiritus sanctus per hoc solum ad inuicem distinguuntur, quod diuerso modo procedunt, est omnino verum: sed sicut ostensum est diuerso modo procedere non possunt, nisi Spiritus sanctus à filio esset. Et post pauca: *Est autem intentio Anselmi prius ponere ea, in quibus nos conueniunt cum negantibus Spiritum sanctum à filio esse, qui tamen Spiritum à filio dicunt distinguere.* Vnde verba predicta Anselmi inducta sunt magis, vt disputatiua suppositio, quam veritatis definitio. Hæc D. Thom. Quibus verbis aperitur perspicue mens Anselmi, & vani redduntur conatus Vasquezij eiusdem perspicue verbis, quæ S. D. glossauerat innixi. Significat ergò S. Thom. Anselmum loqui de processionibus completè sumptis, id est cum ordine originis inter se; addit præterea secundam responsionem, dicens illam esse suppositio-nem disputatiuam &c. *Quod verò secundò* ait Rada verum esse dictum Anselmi loquendo de facto: pugnat manifestè cum dictis eiusdem Radæ & Scoti dicentis filium non spiratione tm, sed etiam filiatione à Spiritu sancto distinguere. Præterea superius satis ostendimus nulla alia ratione posse diuinas personas realiter ab inuicem distinguere, quam relatiua originis oppositio: si salua debet vnitas diuinæ naturæ consistere. Quod etiam probatur euidentijs argumentis pro penultima conclusione producendis. *Tertia denique responsio* seipsam interimit & nostra confirmat. Nam si filiatio non opponitur relatiuè processioni nisi ratione spirationis cui coniungitur in eadem persona: igitur non distinguitur à processione realiter nisi ratione spirationis; ergo sepa-

rata à filio spiratione, non esset filiatio realiter à processione distincta.

Quartò probatur tertia nostra conclusio ratione D. Tho. in dicto a. 5. de potentia. Distinctio aliquid habentium vnã naturam saltem generis, per diuisionem formalem esse non potest, nisi ratione alicuius oppositionis: sed inter diuinas personas alia oppositio esse nõ potest nisi relatiua; ergo &c. Probationem maioris & minoris, vide si placet ibidem.

Respondet Rada, præter oppositionem relatiuam, esse etiam oppositionem affirmationis & negationis, quæ esset inter filium & Spiritum S. si non procederet à filio: nec huiusmodi oppositio (inquit) est solum inter ens & non ens, sed etiam inter entia positiua, quorum vnũ non est aliud, vt inter hominem & lapidem. *Sed huius responsio*, falsitatem iam S. D. ibidem excluderat per ea, quæ supra notauimus in primo fundamento, vbi probauimus cum D. Tho. primam rationem distinctionis inter filium & Spiritum sanctum esse non posse ex hoc, quòd filius est genitus non spiratus, ille verò spiratus & non genitus: sed necesse esse præintelligi distinctionem inter generationem & spirationem, & inter filium & Spiritum sanctum per aliquam oppositionem duarum affirmationum.

Alia duo argumenta efficacissima vide apud S. D. in d. a. 5. quibus ostendit diuinarum personarum distinctionem esse non posse, nisi per relationes originis inuentas in diuinis per hæc duo, à quo alius & qui ab alio.

QUARTA CONCL. Per se & formaliter loquendo filius filiatione distinguitur à Spiritu S. formaliter, non autem realiter aut personaliter. Hæc est contra Scotistas & Zum. *disp. 2.* Sensus huius conclusionis est, filiationem non esse rationem distinguendi filium à Spiritu S. realiter, sed tantum formaliter: licet filiatio sit res distincta à Spiritu sancto & processione. Probatur prima pars conclusionis, quia secundum D. Tho. proprietates personales specie & formaliter distinguuntur ad inuicem, vt in prima questione huius tractatus ostendimus. *Secunda pars* constat ex dictis; quoniam filius per filiationem nullam habet oppositionem relatiuam ad Spiritum S. ergo data hypothesi, quòd Spiritus S. à filio non procederet, sicut esset vna persona filij & Spiritus S. realiter: ita vna res relatiua realiter esset filiatio & processio sola ratione distincta: & similiter duæ processionessent vna processio realiter, cum sola distinctione formalis; ergo per se & formaliter loquendo filius non distinguitur filiatione à Spiritu sancto realiter & personaliter.

QUINTA CONCL. Si Spiritus sanctus à filio non procederet, non distingueretur realiter ab illo. Hæc conclusionem probant ea omnia argumenta, quibus probata fuit tertia conclusio. Afferunt recentiores, & præsertim Vasq. & Suar. quasdam alias probationes vt magis concludentes, quarum efficaciam lectoris iudicio relinquimus æstimandam.

SEXTA CONCL. siue Theologicè siue Metaphysicè loquamur, vera est conclusio præcedens. Probatur quoniam rationes superius adductæ pro tertia conclusione probant impossibilem esse aliam distinctionem realem in Deo, quam relatiuam formaliter. Nam vel distinguerentur in Deo persona per absoluta: & sic quot essent absolutorum differentia, tot essent Deorum species, quorum quilibet alterius cuiuslibet perfectione careret; & sic nullus eorum esset absolute perfectus, nec

Rada resp.

Confut.

7

nec

nec verus Deus; aut per communia relativius & absolutis, sicut est disparatio rationū formalium; & ita non essent tres personæ in diuinis sed plures: cum etiam paternitas & spiratio sint disparatæ.

*Responsio
Scotistar.*

Sed dicunt Scotus & eius Schola, non esse eandem rationem de dictis duabus relationibus, & de filiatione & processione, eo quod ab vno principio multa possunt emanare: & ideo duæ illæ relationes in principio existentes non efficiunt distinctionem, cum tamen relationes illis correspondentes, & inter se non oppositæ scilicet filiatio & processio distinctionem efficiant in ijs, quæ sunt a principio scilicet in filio & Spiritu sancto.

Confut.

Sed hæc responsio non effugit vim argumenti. Nam paternitas & spiratio non constituunt principium vnius & eiusdem rationis; cum alia sit ratio patris & alia spiratoris: & illa sit incommunicabilis, hæc verò communicabilis: atque ideo nisi diuinæ simplicitatis & perfectionis obstatet infinitas, realiter distincta principia constituerent; igitur cum filiatio & processio, & similiter filius & Spiritus S. realiter ab inuicem distinguantur non obstante diuinæ naturæ simplicitate & infinita perfectione, merito quæritur, cur paternitas & spiratio non sint duæ relationes in esse rei distinctæ: & quare pater & spirator non sint duo principia distincta realiter: duæ verò illæ relationes scilicet filiatio & processio, & constituta per eas scilicet filius & Spiritus sanctus realiter ab inuicem distinguantur. Nec vlla ratio videtur afferri posse congruentior, & Sanctorum & vniuersalis Ecclesiæ doctrinæ consonantior, quam dicendo filium & Spiritum S. oppositionem habere relatiuam originis ad inuicem, quæ non est inter patrem & spiratorem. Præterea supponit manifestè falsum illa responsio, nimirum paternitatem & spirationem esse principia productiua filij & Spiritus S. cum tamen sint relationes, quæ sunt ipsæmet productiones, non vt actiones sed vt relationes significatæ, vt dicemus inferius cum D. Thom. q. 41. a. 1. Quamuis autem in ijs, quæ sunt eiusdem ordinis, ab vno principio multæ possint esse passiuæ productiones, vt patet in generationibus animalium: singulis tamen passiuis productionibus necesse est singulas productiones actiuas respondere. Igitur filiationi quæ generatio passiuæ est, & processioni quæ est spiratio passiuæ, deberent etiam in Patre duæ productiones actiuæ eodem modo distinctæ respondere, scilicet paternitas quæ est actiuæ generationis, & spiratio quæ est actiuæ productionis Spiritus S. quæ tamen non realiter sed ratione tantum ab inuicem distinguuntur. Huius verò differentia. scilicet quod illæ realiter ab inuicem distinguantur, hæc verò minimè, nulla potest omnino reddi ratio nisi quod inter eas est oppositio relatiua originis, inter has verò nulla est oppositio.

ULTIMA CONCL. Si Spiritus S. procederet à filio, & non à Patre, adhuc realiter distingueretur à Patre. Probatur; quia tunc Spiritus S. haberet ordinem originis ad Patrem mediante filio à Patre procedente. Verum, vt hic aduertit Caietanus, facta hac hypothesi non essent diuinæ personæ consubstantiales ad inuicem; cum enim filius quatenus spirator non opponatur Patri relatiuè: Si pater non spiraret, distinctionem haberent virtutis & absolutæ perfectionis Pater & Filius; & consequenter etiam Spiritus S. qui suam essentiam non haberet immediatè à Patre, sicut Filius; quod minoris videretur esse dignitatis. Ex quo sequitur etiam non fore tunc easdem in Trinitate personas, quæ nunc sunt.

CONTRA primam concl. argum. Rada ex Sco ob. 1. c. 1. 1.

tem distinguitur à quolibet alio consimilem entitatem non habente: ergo pater per paternitatem non solum à filio, sed etiam ab omni non patre distinguitur: licet non distinctione relatiua id est tãquam à correlatiuo (hac enim solum à filio distinguitur) sed distinctione alia, quæ omni enti per propriam entitatem competit. Antecedens probatur; quia omne ens est vnum: at verò vnum dicitur quod in se est indistinctum & distinctum à quolibet alio consimilem entitatem & vnitatem non habente: vt homo per rationalitatem non solum distinguitur à bruto, sed etiam à lapide & omni non rationali. Consequentia probatur; quia ad propriam entitatem sequitur propria vnitas & propria distinctio à quocunque alio similem entitatem non habente siue formalis siue realis.

Confirmatur: Quia relatiuum & absolutum sunt maximè distincta: cum inter se distinguantur prædicamento; ergo principia per quæ distinguuntur sunt maximè distincta: sed hæc sunt entitas absoluta & relatio; nam illa constituit absolutum hæc relatiuum; ergo entitas absoluta & relatio inter se distinguuntur; ergo relatio non solum est ratio distinguendi relatiuum à correlatiuo, sed etiam ab absoluto.

Respondet Vasquez in dicto cap. 7. dicens antecedens verum esse de omni constituyente aliquid re ipsa: sicut homo sua forma distinguitur realiter ab equo & alijs, qui ea non constituuntur: sed eo (inquit) principio quo res constituitur secundum rationem tantum, non oportet eam distingui realiter à quocunque alio, quod eo non constituitur secundum rationem: sicut actio & passio, quæ genere differunt, constituuntur secundum rationem principijs genere diuersis: cum tamen idem realiter sint in vno motu. Cum itaque constitutio filij Dei per filiationem, & aliarum personarum per suas proprietates non sit constitutio realis, sed per rationem solum: non oportet (inquit) vt ea proprietates, quæ formaliter constituuntur, realiter distinguantur à quocunque alio, quod per illam non constituitur.

Sed hæc responsio non euadit vim argumenti; nam species per suam differentiam sola ratione constituitur, cum tamen ea distinguatur realiter à qualibet alia specie sub eodem genere comprehensa. Et confirmatur; quoniam à tali constitutio res suam habet entitatem & vnitatem. Præterea tale constitutum vim habet æqualem reali constitutio; igitur sicut constituit in esse reali seclusa imperfectione compositionis: ita distinguet realiter absque vlla imperfectione rei distinctæ, & nihil aliud obstat.

Alio modo responderet Suarez in dicto quarto capite dicens relationem vt sic solum distinguere realiter à suo opposito: sed nomine oppositi intelligendum esse non tantum oppositum vt correlatiuum, sed etiam oppositum vt terminum; vt patet (inquit) in relatione creata, quæ non tendit per se ad correlatiuum vt terminum sed ad absolutum. Nam exempli gratia relatio creaturæ ad creatorem ex intrinseca ratione & constitutione sua postulat distinctionem realem à creatore; quia illi in re ipsa opponitur, non tanquam correlatiuo quia in creatore non respondet relatio realis opposita; ergo tanquam termino qui in se quid absolutum est. Sic igitur (inquit) filiatio paternitati opponitur correlatiuè: processioni autem opponitur tanquam terminus formalis ad quem Spiritus S. refer-

Confut.

Confut.

Confut.

Confut.

refertur; procedit enim (inquit) Spiritus sanctus A à Patre & Filio immediatè & vt constitutus paternitate & filiatione: & idè immediatè ad illos refertur tanquam ad principium suum; ergo ex vi illius oppositionis habent sufficientem rationem distinctionis, ita vt licèt per impossibile intelligeremus non resultare relationem realem spirationis actiuae ad Spiritum S. sed esse inter illos relationem non mutua: nihilominus esset inter eos realis distinctio ex vi suarum proprietatum, quatenus filiatio est quasi ratio terminandi habitudinem processionis ad Filium. *Sed haec plura continent falsa.* Primum est, relationem creatam non tendere per se ad correlatiuum vt ad terminum sed ad absolutum. De quo latè disputauimus *supra qu. 13. ar. 7.* Secundum est, filiationem terminum esse formalem processionis. Tertium est, non idem esse terminum relatiui & correlatiuum. Quartum est, Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere vt constitutus paternitate & filiatione formaliter, & ad illos vt sic constitutos referri tanquam ad principium; procedit enim ab eis vt constitutus spiratione formaliter in ratione vnus principij, qui est spirator: quamuis materialiter & praesuppositiue loquendo, procedat ab eis vt constitutus paternitate & filiatione.

Confut.

Vera solut.

Ad confir. Alia solut. ex D. Tho.

Impugn. Vd.

Hic itaque responsionibus omisis, quas etiam impugnat Rada, dico primo antecedens in materia relatiuorum falsum esse de distinctione relatiua: verum autem de distinctione separata etiam reali in relatiuis creatis; sed cum in diuinis nulla possit esse realis distinctio, nisi per relationes originis oppositas relatiue, distinctio illa disparata, quae est inter relationes diuinas non oppositas, non est realis sed rationis tantum, vt patet de relationibus paternitatis & spirationis in patre. Et eodem modo respondetur ad confirmationem. *Secundo respondetur ex D. Thom. in dicto 4. quodlibeto* assumptum illud verum esse de distinctione secundum affirmationem & negationem, quae est per habere & non habere eandem formam: quae realis distinctionis fundamentum non habet in diuinis seclusa oppositione, sed in creatis tantum: in quibus tamen supponit realem distinctionem per formas positas. Vnde ad probationem antecedentis dico omne ens esse vnum, id est in se indistinctum & ab omni alio distinctum realiter aut formaliter iuxta modum suae naturae; entis autem relatiui natura est ad aliud esse: & ideo per constitutiuum in esse relatiuo, non nisi à correlatiuo realiter distinguitur per se & formaliter loquendo: quod si à non correlatiuis etiam realiter distinguit, hoc accidit constitutiui relatiui vt sic, quia id non efficit secundum rationem relatiuam formaliter, sed secundum communia sibi & absolutis. Quare cum in diuinis nulla possit esse realis distinctio nisi relatiua formaliter: consequens est, omnem aliam distinctionem inter diuinas relationes & personas solius rationis in re fundamentum habentis opus esse. Et per haec soluntur ea, quae nobis obijciunt Valq. c. 5. & 7. & Suarez in dicto cap. 4.

Sed hanc nostri Cai. respons. sic impugnat Val. Vel Caiet. vult negare omnem omnino distinctionem realem inter filium vt filius est, & Spiritum sanctum atque adeo etiam distinctionem realem ratione originis; vel solum vult negare distinctionem realem relatiuam. Si primum, est contra fidem, ex qua constat filium & Spiritum S. vt personae sunt realiter distingui. Hinc enim

sequitur filium realiter distingui per filiationem, qua dumtaxat constituitur in esse personae distinctae à Spiritu S. Si secundum, non satisfacit argumento Scoti, cui satis fuit assumere, quod filius per filiationem distinguitur realiter quomodocumque à Spiritu S. *Secundo:* Quando Cai. concludit filium per filiationem non distingui à Spiritu S. quia vt sic non opponitur illi relatiue: vel loquitur de oppositione relatiua ratione relationis tantum: quo pacto opponuntur & distinguuntur duo correlatiua; & isto modo verum est filium per filiationem non opponi Spiritui S. sed tamen hinc non sequitur, quod filius per filiationem non distinguitur à Spiritu S. quia restat alius distinctionis modus, quo per filiationem filius possit opponi relatiue Spiritui S. & ab eo distingui, videlicet ratione originis: quae quidem origo relatio quaedam est; quem modum distinctionis docuit Cai. *supra qu. 30. a. 2.* cuius doctrinae non videtur fuisse memor in hoc articulo. Si verò nomine oppositionis relatiuae intelligit omnem oppositionem relatiuam, etiam ratione originis, falsum est quod assumit, filium per filiationem non opponi relatiue Spiritui S. & pugnat cum eo quod ipsemet docuit in dicto loco.

Respondetur ad primum, neutrum intendi à Caietano praecise, sed tertium, nimirum nullam filiationem formaliter & praecise fieri distinctionem realem inter filium vt filius est, & Spiritum S. Nam distinctio realis ac proinde oppositio relatiua originis quam habet filiatio siue filius ad Spiritum S. ex actiua spiratione est filiationi coniuncta in persona filij: qua spiratione per intellectum praecisa nulla remanet oppositio, & consequenter neque distinctio. Nec verum est filium filiatione constitui in esse personae distinctae à Spiritu S. Nam filiatione quidem in esse personae constituitur: spiratione verò constituitur in esse distincto à Spiritu S. vt ante diximus. Et per haec soluitur etiam secundum eiusdem expositoris argumentum. Nam filiationi non conuenit ordo originis ad processionem, nisi ratione coniunctae spirationis. Et hoc est quod docuit Cai. *in qu. 30. a. 2.* Ex quo patet solutionem Val. ad argumentum Scoti nihil asserre de proprio, nisi hanc propositionem dupliciter falsam, videlicet filium distinguitur realiter à Spiritu S. per filiationem formaliter, quatenus per illam est ea persona, à qua Spiritus S. procedit. Nam primo falsum est filium realiter distingui à Spiritu S. filiatione formaliter. Secundo falsum est filium filiatione esse eam personam, à qua Spiritus S. procedit formaliter loquendo. Si quidem spiratione filius constituitur, non quidem in esse personae simpliciter, sed cum addito scilicet à qua Spiritus sanctus procedit. Nam spiratione in hoc constituitur filius vt sit persona spirans siue spirator.

Contra respons. autem D. Th. ex quarto quolibeto argumentatur Rada. Si homo non distinguitur à lapide per rationalitatem, sequitur quod homo vt constitutus in sua specie specialissima per rationalitatem non sit alterius speciei specialissimae à lapide & plantis in suis naturis specificis consideratis. Consequens est omnino falsum, vt de se patet; ergo &c. Probatur sequela maioris; quia per se non distinguitur homo à lapide per rationalitatem; ergo per eam non est ab eo specie distinctus: aut si est distinctus specie; ergo per rationalitatem distinguitur homo non solum à speciebus animalium, cum quibus maxime conuenit: sed etiam à lapide & plantis, cum quibus

Replica Rade.

bis

Solut.

bus minus conuenit: quod tamen prius negabas. *Respon.* differentias essentielles non aliter diuersas species realiter ab inuicem distinctas constituere, quàm diuidendo per se cõmune genus; igitur differentia vnius generis diuisiua, puta rationale, per quod diuiditur animal, non constituit hominem specie distinctum, nisi à boue, leone & cæteris animalis speciebus per differentias idem animal per se cõdiuidentes constitutis: si de actu distinguendi conueniente differentia ex propria & eius præcisa ratione formali loquendum sit. Et quamuis à lapide distinguatur homo per rationale: non est tamen hæc distinctio ex propria & præcisa ratione formali rationis, sed quatenus differentiam superioris generis continet diuisiuam scilicet animatum: quæ non tantum homo, sed etiam vniuersa viuientia rationis expertia à quolibet anima vitæ carente corpore distinguuntur. Propter quam causam D. S. in quolib. & alibi docet distinctionem positiuam & absolutam eorum, quæ sub vno genere continentur, non esse nisi à speciebus sub eodem genere contentis: à cæteris autem distingui distinctione negatiua, quæ est per habere & non habere. Ad argumentum igitur dico maiorem dupliciter intelligi posse. Vno modo de rationalitate eius sequela nego falsitatem consequentis. Alio modo quatenus includit differentiam superioris generis diuisiuam, puta animatum: & sic nego sequelam. Ad cuius probationem dico nihil aliud probare, nisi per rationalitatem vt includit superioris generis differentiam distingui specie hominem à lapide: sicut etiam per rationalitatem distinguitur à Deo, prout in rationalitate clauditur modus distinctiuus entis creati siue finiti ab increato & infinito.

CONTRA tertiam concl. militat 4. argumentum apud Molinam cum sua confirmatione. Vide solutiones apud eundem.

Obi. cons.
4. concl.

CONTRA quartam & quintam concl. argum. Rada. Primò. Quocunque formaliter aliquid constituitur in esse, eodem distinguitur distinctione conueniente illi esse, à quocunque similem entitatem non habente: sed filius constituitur in esse personali filiatione; ergo filiatione distinguitur personaliter ab omni alia persona ab ipso; ergo per filiationem distinguitur personaliter à Spiritu sancto, qui est alia persona ab ipso; ergo per impossibile circũscripto à filio quocunque alio, & maximè si est posterius filiatione, remanebit filius filiatione distinctus personaliter à quacunque alia persona; ergo seclusa spiratione à filio, quæ est posterior filiatione, remanebit filius personaliter distinctus à Spiritu S. & per consequens realiter. Omnes consequentia sunt euidentis. Probo maiorem: quia eodem est ens & vnum, vnitatem conueniente tali vnitati: si autem est vnum est in se indistinctum & ab omnibus alijs distinctum. Minor patet; quia proprietates personalis filij, non est spiratio sed filiatio. *Resp.* maiorem in absolutis esse veram modo superius explicato; falsam autem in reatiuis formaliter & per se loquendo, vt ante diximus: sicut etiam falsum est, omne distinguens personaliter constituere personam.

Solut.

Replica
Rada.

Sed hoc probat Rada: quia quod distinguitur ab alio in quantum tale, distinguitur per aliquid, & est de ratione eius in quantum tale, constituens illud in esse tali. *Resp.* minorem subsumendam, quam subicit Rada, videlicet, sed filius in quantum est talis persona, vel in quantum est filius distinguitur à Spiritu S. duplicem sensum habere. Nam dictio illa speci-

Responso.

ficiua in quantum potest specificare vel rem distinctam, vel rationem distinguendi: Si rem distinctam specificet, vera est minor, sed falsa est maior. Si rationem distinguendi, adhuc dupliciter intelligi potest. Vno modo, vt ratio distinguendi sit ipsa personalitas, puta filiatio secundum propriam rationem formalem: & sic falsa est minor. Alio modo, vt ratio distinguendi sit quid clausum in ratione personæ secundum integrum eius conceptum complectentem omnes eius proprietates & notiones, & sic vera est minor sed falsa est maior. Nam in ratione personæ filij sic perfectè concepti clauditur spiratio, vt eius proprietates siue notio, quæ non est filij constitutiua vt filius est, sed vt spiratio est, eadem tamen per se & substantialiter cum persona filij. Ex hac responsione magis elucet veritas responsionis Cai. ad simile argumentum dicentis duplex esse personæ distinctiuum: vnum faciens formaliter personam & eius distinctionem: aliud quod formaliter efficit distinctionem &c. prout supra declarauimus. Quam doctrinam sequitur & explicat Ferrar. in 4. cont. gent. c. 24. ad 4. Scoti. Nec est inconueniens in materia SS. Trinitatis siue diuinarum personarum duplex in aliqua vel aliquibus personis esse personaliter distinguens, immò necessarium: quia prima distinctio diuinarum personarum attenditur secundum hæc duo, à quo alius & qui ab alio: quorum alterum scilicet qui ab alio subdistinguitur est per differentias per se, qui scilicet sunt eiusdem rationis, vt scilicet eorum, qui sunt ab alio, vnum eorum ab eorum altero sit, vt ait S. D. de potent. q. 10. a. 5. Sicut igitur nomine paternitatis & generationis significatur ordo naturæ, quo pater est principium filij: & nomine filij ac generationis passiuæ denotatur ordo naturæ, quo filius est à patre: ita nomine spirationis actiuæ significatur ordo naturæ, quo Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus S. nomine verò spirationis passiuæ aut processionis importatur ordo naturæ, quod Spiritus S. est à Patre & Filio. Quo fit vt omnino necesse sit duplex in patre distinctiuum constituere: vnum quo Pater distinguitur à Filio: & aliud quo distinguitur à Spiritu S. cum non sit idem ordo naturæ siue originis inter patrem & filium, & inter patrem & Spiritum. Et eadem ratione duo distinctiua necesse est in filio collocare ob duplicem ordinem naturæ vel originis, quod patrem scilicet à quo per generationem procedit; & ad Spiritum S. per spirationem ab eo procedentem. Et per hæc patet solutio ad alia quædam eiusdem authoris argumenta contra Bannesij responsionem dicentis filium distingui à Spiritu S. per suarum proprietatum collectionem, ex quibus vna est spiratio: sicut collectio proprietatum, quæ est in hoc indiuiduo, distinguit indiuiduum hoc ab alio.

E. CONTRA quintam conclusionem argum. Obi. cons.
5. concl.

Rada cum Scoto. Primò. Generatio & spiratio in diuinis sunt productiones inter se distinctæ secundum proprias rationes formales, etiam secluso quòd spiratio sit à filio; ergo circũscripto quòd spiratio sit à filio, stabit distinctio personalis filij & Spiritus S. qui sunt termini istarum productionum. Antecedens probatur: quia à quibus dimanant vt potest intellectus & voluntas, sunt distincta inter se: tum etiam quia ratio formalis vnius est non eadem formaliter alteri, tandem quia spiratio actiuæ non mutat suam rationem formalem per hoc, quòd sit ab vno vel à duobus suppositis; quia cum actio non specificetur à supposito sed à termino, non distinguitur speci-

pe-

penes aliud & aliud suppositum. Probatur consequentia: quia aliter eadem persona esset terminus vtriusque productionis, quod impossibile esse sic ostendo. Eadem persona non potest accipere esse duabus productionibus totalibus; ergo eadem persona non potest esse terminus generationis diuinæ & spirationis. Patet consequentia quia vtraque est totalis productio. Antec. probatur; quia idem bis non potest simpliciter produci: nam tunc per neutrum reciperet esse necessario: quia qualibet seclusa, haberet per alteram esse; ergo per nullam necessariò. *Resp.* antecedens verum esse de distinctione formali, non autem de distinctione reali: atque ita consequentia currit de distinctione filij, & Spiritus S. formali non autem reali. Ad probationes antecedentis dico eas probare distinctionem tantum formale processionum, nõ autem reale, quæ est per solum ordinem originis. Ad probationem consequentia: quia eadem persona non potest accipere esse duabus productionibus totalibus &c. dico falsum supponi, videlicet fore tunc duas processiones non tantum formaliter, sed etiam realiter. Nam si de sola formali dualitate sit sermo, negatur assumptum. Ad cuius probationem, quod scilicet idem non potest bis simpliciter produci, dico falsum supponi, videlicet data illa hypothefi, idem bis produci. Nam tunc solum proprie & simpliciter diceretur idem bis produci, quando duabus productionibus realiter distinctis procederetur; non autem si vna tantum secundum rem productione duas habente rationes formales, puta generationis & spirationis producat: sed tamen modo nostro intelligendi, quo personam prius conciperemus esse terminum generationis, deinde etiam spirationis, intelligeretur eadem persona quodammodo bis produci, primò simpliciter per generationem: deinde secundum quid per spirationem, vt hic admittit Cai. Sed hæc dualitas & ordo productionum non esset in re, sed in ratione tantum.

Solut.

Obj. 2.

Solut.

Replica Rada.

Solut.

Secundò. Data illa hypothefi: Pater per voluntatem producit aliquid, & non absolutum, quia in diuinis absolutum est improducibile: non relationem; quia relatio nõ producitur, sed persona: ergo producit personam Spiritus S. & non filij: quia præsupponitur genita. *Resp.* facta illa suppositione, non fortè distinctionem nisi formalem inter duas productiones, siue processiones: & consequenter etiam inter producta siue procedentia. *Sed hæc responsio sic arguit Rada. Primò.* Inintelligibile omnino videtur, quòd prodicitur et relatio per se subsistens, & quòd non esset persona distincta à verbo: cum per nouam productionem tanquam eius terminus intrinsecus procederet; etsi est noua relatio subsistens; ergo noua persona; quia relatio subsistens in diuinis est persona. *Secundò.* Ad productionem amoris per se subsistens sufficit principium quo perfectum in supposito conueniente actioni: sed hæc omnia essent in patre data hypothefi; ergo pater produceret amorem infinitum per se subsistentem in natura diuina, qui verè esset persona Spiritus S. sicut & modo. *Et confirmatur;* quia cum de ratione intrinseca personæ Spiritus S. nõ sit procedere à verbo, sequitur quòd si ab eo non procederet, ad huc esset persona ab eo distincta. *Resp. ad primum,* tunc non fore nouam id est realiter distinctam productionem, nec nouam relationem subsistentem, vt supponit argumentum: sed eadem esset realiter productio & persona cum generatione & persona filij. *Ad secundum Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.*

A dico Patrem tunc producturum amorem infinitum per se subsistentem, qui esset persona Spiritus S. qui tamen realiter non distingueretur à filio. *Ad confirmationem* dico de ratione amoris esse in primo modo dicendi per se, vt procedat à verbo.

Contra eandem concl. sunt multa argumenta, quæ proponunt & soluunt Capr. in 1. dist. 11. Ferrar. in dicto cap. 24. Cai. Iauel. & alij expostores super hoc articulo, ad quos lectorem remittimus; sed post ea, quæ diximus, nulla superest difficultas.

CONTRA sextam concl. argu. Val. Quia nihil obstat, quo minus quantum est ex vi luminis naturalis, æquè tunc potuisse intelligi aliter personas distingui. *Resp.* obstat ea maxima absurda, quæ deduximus in probatione conclusionis.

CONTRA vltimam concl. argu. Val. Impossibile est vt aliquid in diuinis distinguatur ab alio, nisi immediatè etiam opponatur illi vel ratione originis, vel ratione relationis: sed si Spiritus sanctus procederet à solo filio, pater nullo modo istorum opponeretur Spiritui S. ergo non esset possibile vt distingueretur ab illo. Maior probatur ex eo, quòd iam non est alius distinctionis modus, & quòd ad intra non est in diuinis, non potest esse. *Resp.* falsam esse minorem. Nam opponeretur tunc pater ratione originis mediate Spiritui S. sed tamen, vt diximus non essent diuinæ personæ consubstantiales.

Sed contra hanc responsionem insurgit Rada. *Primò.* In casu posito pater primò & per se esset personaliter distinctus à Spiritu S. per solum paternitatem omni alio secluso: quia per illam solum constitueretur in esse personali: ergo seclusa etiam huiusmodi oppositione esset à Spiritu S. distinctus personaliter. *Secundò.* Illa mediata oppositio de per accidens se habet ad distinguendum Patrem à Spiritu S. ergo aliquid aliud esset assignandum tãquam huiusmodi distinctionis per se causam. Consequenter tenet: quia omne per accidens debet reduci ad id quod est per se. Antec. probatur: quia tunc pater respectu productionis Spiritus S. de per accidens se haberet, sicut in humanis auis respectu nepotis: si quidem ipso auo nõ existente, nihilominus produceretur. *Deniq.* Distinctio personalis debet tribui constitutio personali: ergo soli paternitati & non illi mediatae oppositioni tribuenda esset distinctio realis patris à Spiritu S. *Resp. ad primum* falsum esse antec. Ad probationem, quia per illam solum constitueretur in esse personali, negatur consequentia ob supra dictam causam, cum ageretur de distinctiuo filij à spiritu sancto. *Ad secundum* negatur antec. Ad eius probationem negatur assumptum: nam esset tunc essentialis quædam connexio, tã in essendo quàm in operando inter patrem & filium: præsertim si ponerentur tres personæ consubstantiales, vt modo sunt; quamuis ea facta suppositione, non essent verè consubstantiales. *Ad 3.* negatur antec. ob rationem sæpius assignatam.

SECUNDA CONTROVERSA.

De efficacia secundæ rationis D. Thomæ.

IOANNES Rada contr. 15. a. 1. satis audaçter sententia affirmat rationem hanc secundam D. Th. non concludere propositum Cai. Sylu. Ripa super hoc art. & Ferrar. 4. cont. gent. cap. 24. existimant eam esse probabilem. Iauellus opinatur eam esse necess-

S

cess-

Obj. cons. 6. consl.

Solut.

Obj. contra vlt. concl.

Solut.

Replica

Solut.

cessaria, supposito in Deo verbo notionaliter dicto. In quam sententiam videtur inclinare Molina *diff. 7.* Torres ait rationem hanc esse per pulchram & maximè annotandam.

Resolatio.
Verbo diuino ex propria ratione formali conuenire per se in primo modo esse principium amoris vt quod per actum voluntatis.

AD MEMORIAM reducenda sunt primò quæ supra diximus *quæst. 27. art. 3.* de necessitate & perfectate originis amoris à verbo, quatenus verbum est res concepta. Vbi etiam deduximus cum Caietano ordinem originis esse ordinem secundum modum efficientiæ: & rem conceptam & verbum esse causam amoris in genere causæ siue principij efficientis: est enim res cognita secundum esse reale in rerum natura finalis causa, aut ratio finalizandi: secundum esse verò conceptum ratio formalis ipsi voluntati amoris eliciendi: quod est esse rationem agendi, quod ad genus causæ pertinet efficientis vt quo; & consequenter etiam verbum ipsum, quod est res ipsa concepta in esse intelligibili ad intra, erit ratio formalis & causa siue principium amoris vt quo in communi loquendo. Et quia causalitas siue operatio vnicuique conuenit efficienti iuxta modum suum: idcirco si verbum fuerit subsistens vt in Deo, principium erit amoris non formale tantum siue vt quo, verum etiam tanquam efficiens siue principium vt quod. Id verò quòd ita principium est amori, vt quod, amorem efficit siue producit non vt obiectum præcisè sed etiam vt intelligens & volens, non per accidens vt affirmat Rada, sed per se, non ex communi ratione verbi; alioquin omne verbum esset producens amorem vt intelligens & volens, sed ex propria & tali sibi connaturali ratione, vt tale verbum est cui per se conuenit subsistentia. Probantur hæc in verbo diuino, de quo sermo est, & cui soli congruunt. Nam primò verbum diuinum natura ipsa siue bonitas diuina est tam in esse intelligibili, quam in esse naturali: quod illi non per accidens, sed per se conuenit, ex hoc quod à dicente procedit vt perfectissima similitudo: ac proinde perfectissime simile dicenti in eadem scilicet natura numero secundum eius esse naturale; atque ideo genitum est & filius, vt latè supra deduximus *q. 27. a. 4.* Ex quo sequitur tale verbum sibi necessario, & per se in primo modo vendicare subsistentiam, non ex accidentali aut extranea aliqua ratione sibi connexa, sed ex formali & per se differentia, siue modo verbi vt verbum est distinctiuo: ex ratione scilicet perfectæ similitudinis, quæ similitudinis perfectio modus quidam est per se diuinius similitudinis expressæ, quæ est intrinseca & formalis ratio verbi: igitur verbum Dei ex propria ratione formali, in primo modo dicendi per se vendicat sibi subsistentiam & consequenter etiam esse principium vt quod amoris; nõ vt obiectum tantum in esse naturali & intelligibili, sed etiam vt principium productiuum per actum sue voluntatis: Subsistenti namque in genere immaterialium per se conuenit esse tali modo principium agendi. Si itaque subsistentia per se & formaliter conuenit verbo Dei, vt tale verbum est, quatenus dictio illa *tale* denotat modum per se diuiniuum verbi vt verbum est: consequens etiam est, vt cuiusuis ab eo procedentis operationis principium sit vt quod per intellectum & voluntatem; alioquin non ageret in ratione verbi perfectissimi subsistentis in natura diuina, sed ad modum inherens formæ vt verbum nostrum. Vnde quemadmodum homini vt homo est per se conuenit rationale, quod tamen accidit animali vt animal est, & consequenter homini vt animal est: ita verbo diuino vt tale

verbum per se & intrinsecè continet esse principium amoris vt quod per sue voluntatis actum; quamuis id accidat verbo vt verbum est, & etiam ipsi diuino verbo vt verbum est. i. secundum communem & præcisam rationem verbi. Cuius distinctionis neglectus Radam prædictum in errorem induxit. *Scopum* igitur veritatis, videtur, à longè saltem aspexisse Iauell. dicens, supposita fide verbi notionalis in Deo, necessarium esse amorem à verbo procedere. Prædicta confirmat discursus Cai. quem alij sequuntur interpretes, quo secundum illam D. Th. rationem probabilem esse demonstrat.

Secundo obseruandum est, propositionem illam D. Thom. *Necessè est autem, quòd amor à verbo procedat,* intelligendam esse vniuersaliter de verbo & amore: siue sint accidentia siue subsistant, siue sint essentialia siue notionalia siue personalia.

Tertio considerandum est, propositionem illam S. D. *Non enim aliquid amamus, nisi secundum quòd conceptione mentis apprehendimus,* secundum Caietanum intelligendam esse de apprehensione naturali. At Syluest. eam extendit etiam ad intellectiõnem supernaturalem diuinæ visionis, in qua tenet formari verbum. Sed melius loquitur Iauell. dicens, quòd licet in intellectu supernaturali visionis beatificæ non producat verbum, illam tamen (ratione scilicet essentiæ diuinæ per se obiectiue præsentis) equipollere verbo: & idè amorem beati ex tali æquipollenti verbo procedere

Deniq; aduertendum est, hic S. D. supponere cõmunia alibi stabilita, videlicet bonum cognitum esse motiuum voluntatis, & esse principium productiuum amoris ex *3. de anim. & 12. met. ap.* vt hic notat Caiet. & Iauell. & Ferrar. in d. c. 24. Ex dictis sequuntur duæ conclusiones.

PRIMA CONCLVS. *Discursus D. Tho. legitimus est.*

SECUNDA CONCL. *Supposita a fide verbi personalis in Deo ratio D. Th. necessè est id concludit.*

CONTRA PRIMAM CONCL. sunt arg. quæ producunt & soluunt Caiet. Ferrar. & Iauell. ad quos leuorem remittimus.

Contra eandem conclusionem argumentatur Rada. Primò. Notitia rei amatae necessariò præsupponitur amori, hoc idè præcisè: quia per huiusmodi notitiam fit præfens obiectum voluntati: sed diuina essentia de cuius amore procedit Spiritus S. non fit præfens voluntati per verbum, sed per cognitionem essentialem; ergò per hoc, quòd notitia rei amatae, vel amandæ præsupponitur amori eius, non rectè conuincitur, quòd Spiritus S. procedat à verbo. Probat minor. Primò quia aliter Pater intelligeret per verbum. Secundò, quia, si per impossibile Deus inteligeret, & non produceret verbum, adhuc per illam intellectiõnem cognosceret essentiam suam, quæ in ratione obiecti cognitæ amabilis fieret per eandem cognitionem sufficenter præfens voluntati; ergò verbum non requiritur ad hoc per se.

Respondetur propositionem illam: *Necessè est, vt amor procedat à verbo:* non probari per hoc præcisè, quòd notitia rei amatae præsupponitur voluntati, vt per eam fiat præfens obiecti; sed per hoc, quòd nihil amamus, nisi quòd conceptione mentis apprehendimus. *Quòd si dicat Rada* se loqui etiam de notitia prout est rei conceptio, dico falsam esse maiorem argumenti Radæ; quia conceptio siue verbum principium est amoris, non ea sola ratione præcisè, quòd per illud fiat ob-

obiectum praesens, sed etiam, quia verbum in communi loquendo, ex propria ratione forma quaedam est, ut terminus intellectiois intrinsecus, & propria ac consummata intellectus in actu perfectio, quatenus motius est voluntatis. Omne enim agens agit per propriam formam, quatenus est eius actus & perfectio; igitur verbum non eo tantum, quod per ipsum fiat obiectum praesens voluntati, sed propter causam etiam omnibus agentibus communem est necessarium, propter actualitatem scilicet & perfectionem ad operandum necessariam. Et quamvis in divinis verbum non sit actus aut perfectio intellectus: ad perfectionem tamen pertinet intellectiois & intellectus; sicut quaelibet divina persona in perfectione clauditur divini esse. Nam sicut persona ut sic id perfectissimum significat, quod est in natura: ita verbum divinum subsistens id perfectissimum significat, quod est in intellectu. Et quemadmodum nulla est operatio divinae naturae, quam non producant divinae personae: ita nulla est operatio siue motio intellectus respectu voluntatis, quam non efficiat verbum. Ratio vero est: quoniam agens & eius potentia tota sua perfectione producit in quolibet actionis genere proportionaliter. Verbum itaque principium est amoris; vel quia facit obiectum praesens & forma quaedam est intellectus in actu, ut in nobis: vel quoniam intrinsecè clauditur in ipsa perfectione intellectus in actu ut persona subsistens & continens totam rationem divinae bonitatis, quae est obiectum voluntatis. Et ad haec reducenda sunt, quae supra diximus q. 27. a. 3. dub. 7. ubi magis sententiam Caiet. quam nostram expressimus.

ubi. 2.

Secundo. Admisso (inquit Rada) quod verbum per se requiratur ad praesentiam obiecti: non inde inferitur, quod Spiritus S. procedat à verbo sicut ab habente voluntate; ergo non rectè procedit ratio D. Th. Antecedens probatur; quia voluntas in verbo ad id minus impertinenter se habet; quia amor ut sic, dato quod per se requiratur verbum, solum praesupponit illud, ut verbum, de cuius ratione non est voluntas: ut patet in verbo creato, in quo non est voluntas, cui tamen ratio verbi omnino competit; ergo ex eo, quod amor per se praesupponat verbum, à quo ut verbum procedat, non conuincitur quod procedat à verbo per voluntatem, ut modo volumus & ut Concilia definiunt. Respondeo primò, nos ex eo principio non deducere processionem Spiritus S. à verbo. Secundo ad probationem antecedentis negatur assumptum. Ad cuius probationem iam dictum est voluntatem ut amoris principium esse de ratione verbi perfectissimi & subsistentis; quamvis accidat verbo, ut verbum est id est verbo secundum communem rationem verbi.

sol.

ubi. cont. 2.

cont.

solat.

CONTRA secundam conclus. argumen. Caiet. Dicere quispiam posset Patrem producere amorem sui notionalem, cognoscendo se essentialiter; ergo ratio D. Th. non est accipienda ut necessaria, sed ut probabilis. Respondeo falsum esse antecedens ob rationem superius assignatam in resp. ad 1. arg. Rad.

DUBITATIO de tertia ratione D. Thom. Caiet. proponit quorundam argumenta contra tertiam rationem D. Thom. & primò contra illam propositionem. Ab vno nunquam procedunt plura absque ordine inter se, nisi in materialiter tantum differentibus. Secundo aduersus duo dicta, quae videntur ad inuicem contradicentia; quibus optimè responderit Cai. Sed primum argumentum melius soluitur à Iauello & Ferrar. in

d. 2. 24. ex doctrina D. Thom. de potentia, quaest. 10. a. 3.

Annotationes circa responsiones ad argumenta D. Thomae.

IN responsione ad primum argumentum aduerte Canonem illum D. Thomae regulariter in sacra Scriptura tenendum est, quod id, quod de Patre dicitur, oportet de filio intelligi, etiam si dictio exclusiua addatur: nisi solum in illis, in quibus Pater & filius secundum oppositas relationes distinguuntur: intelligendum esse secundum sensum minus proprium loquutionis, quatenus scilicet dictio exclusiua excludit aliud neutraliter, & non alium masculinè, ut declarat S. D. supra q. 31. a. 4. sic enim pie exponantur dicta scripturarum, ut ibidem docuit divina voluntatis interpres.

Circa resp. ad 2. ubi S. D. agit de definitione seu expressione processionis Spiritus S. à Filio facta auctoritate Romani Pontificis, lege si placet ea, quae scribunt Mol. disp. 1. Valen. puncto 2. Vasquez disput. 146. cap. 3. & 4. & Suarez lib. 10. de Trinitate, c. 1.

De sententia Damasceni, quam examinat D. Th. in resp. ad 3. aduerte secundam responsionem ex aliorum sententia non rejici, sed ut probabilem admitti: quae etiam apertius exprimitur in 1. dist. 11. a. 1. quam declarationem sequuntur & explicant Molina disp. 2. Vasquez in d. disput. c. 7. & Suarez in allegato cap. 1. quamvis (nescio quo spiritu) profiteatur Vasquez se exponere verba Damasceni contra mentem D. Th.

Postremo circa resp. ad 7. argumentum duo sunt annotanda. Primum est sensus illius propositionis Aristot. In perpetuis non differt esse & posse: quem exprimit Sylu. Secundum est interpretatio verborum & mentis Anselmi, cuius alia plura dicta producit Rada pro sua sententiae confirmatione: quibus tamen facile potest accommodari duplex A. nostri D. interpretatio, ea scilicet quam adhibet hic ad 7. & illa quam ex quaest. de potentia supra retulimus: cui maxime fauet Vasquez in 7. c. dist. 148. immemor eorum, quae dixerat in 4. cap. Sententias reliquorum Patrum tam Latinorum quam Graecorum referunt cumulatè recentiores super hoc articulo, & Suarez ubi supra.

ARTICVLVS TERTIVS.

Verum Spiritus sanctus procedat à Patre per Filium.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod Spiritus sanctus non procedat à Patre per filium. Quod enim procedit ab aliquo per aliquem, non procedit ab eo immediate. Si igitur Spiritus S. procedat à patre per filium, non procedit à patre immediate. Quod videtur inconueniens.

196
1. di. 12. a. 3.
Et op. 2. ca.
41. Et op. 9
c. 27.

2 Prætere a. Si Spiritus S. procedat à Patre per filium, non procedit à filio, nisi propter patrem. Sed propter quod vnumquodque & illud magis. Ergo magis procedit à Patre quam à filio.

3 Prætere a. Filius habet esse per generationem, si igitur Spiritus sanctus est à patre per filium, sequitur quod prius generetur filius, & postea procedat Spiritus S. & sic processio Spiritus S. non est aeterna, quod est haereticum.

4 Prætere a. Cum aliquis dicitur per aliquem operari, potest è conuerso dici. Sicut enim dicimus, quod



Rex operatur per Ballium, ita potest dici quod Ballius operatur per Regem. Sed nullo modo dicimus quod filius spirat Spiritum S. per patrem. ergo nullo modo potest dici, quod pater spirat spiritum sanctum per filium.

Libr. 12. de
Tern in fi
libri.

Sed contra est, quod Hilari^s dicit in lib. de Trinitate. Conferua hanc oro fidei meae religionem, ut semper obtineam patrem scilicet te, & filium tuum vna tecum adorem, & spiritum sanctum tuum, qui est per vnguentum tuum, promere ar.

Respon. Dicendum, quod in omnibus locutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpositio, per, designat in causali aliquam causam, seu principium illius actus. Sed cum actio sit media inter factum & factum, quandoque illud causale cui adiungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod exiit ab agente; & tunc est causa agentis, quod agat, siue sit causa finalis, siue formalis, siue effectiua, siue motiua. Finalis quidem, ut si dicamus, artifex operatur per cupiditatem lucri. Formalis vero, ut si dicamus, quod operatur per artem suam. Motiua vero, si dicamus, quod operatur per imperium alterius. Quandoque vero dicitur causale, cui adiungitur hæc præpositio, per, est causa actionis, secundum quod determinatur ad factum: ut cum dicimus, artifex operatur per martellum. non enim significatur, quod martellus sit causa artificis, quod agat, sed quod sit causa artificiato, ut ab artifice procedat, & hoc ipsum habeat ab artifice. Et hoc est, quod quidam dicunt, quod hæc præpositio, per, quandoque notat authoritatem in recto: ut cum dicitur, Rex operatur per Ballium. Quandoque autem in obliquo: ut cum dicitur, Ballius operatur per Regem. Quia igitur filius habet à patre, quod ab eo procedat Spiritus sanctus, potest dici, quod pater per filium spirat spiritum sanctum, vel quod spiritus sanctus procedat à patre per filium, quod idem est.

Ad Primum ergo dicendum, quod in qualibet actione est duo considerare, scilicet suppositum agens, & virtutem qua agit, sicut ignis calefacit calore. Si igitur in patre, & filio consideretur virtus, qua spirant spiritum sanctum, non cadit ibi aliquod medium, quia virtus est vna, & eadem. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes, sic, cum spiritus sanctus communiter procedat à patre, & filio, inuenitur spiritus sanctus immediate à patre procedere, in quantum est ab eo: & mediate, in quantum est à filio. Et sic dicitur procedere à patre per filium. Sicut etiam Abel processit immediate ab Adam, in quantum Adam fuit pater eius: & mediate, in quantum Eva fuit mater eius, qua processit ab Adam, licet hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad significandam immaterialem processionem diuinarum personarum.

Ad Secundum dicendum, quod si filius acciperet à patre aliam virtutem numero ad spirandum spiritum sanctum, sequeretur quod esset sicut causa secunda, & instrumentalis: & sic magis procederet à patre, quam à filio. Sed vna, & eadem numero virtus spiratiua est in patre, & filio, & ideo equaliter procedat ab utroque. Licet aliquando dicatur principaliter vel proprie procedere de patre propter hoc, quod filius habet hanc virtutem à patre.

Ad Tertium dicendum, quod sicut generatio filij est coeterna generanti (vnde non prius fuit pater, quam generet filium) ita processio spiritus sancti est coeterna suo principio. Vnde non fuit prius filius genitus, quam spiritus sanctus procederet: sed utrumque æternum est.

Ad Quartum dicendum, quod cum aliquis dicitur per aliquod operari, non semper recipitur conuersio. Nō enim dicimus, quod martellus operetur per fabrum: dicimus autem, quod Ballius operatur per Regem. Quia Ballius est agere, cum sit dominus sui actus: mar-

Atelli autem non est agere, sed solum agi: vnde non designatur nisi ut instrumentum. Dicitur autem Ballius operari per Regem: quia quædam hæc præpositio, per, denotat medium, quia quantum suppositum est prius in agendo, tanto virtus eius est immediatior effectui, quia virtus cause primæ coniungit causam secundam suo effectui. Vnde, & prima principia dicuntur immediata in demonstratiuis scientijs. Sic igitur, in quantum Ballius est medium secundum ordinem suppositorum agentium, dicitur Rex operari per Ballium: secundum ordinem vero virtutum, dicitur Ballius operari per Regem, quia virtus Regis facit, quod actio Ballii consequatur effectum. Ordo autem non attenditur inter patrem, & filium, quantum ad virtutem, sed solum quantum ad supposita: & ideo dicitur, quod pater spirat per filium, & non conuerso.

Sensus quaeritur.

QVAERITUR hic magis de propositionis congruentia, quam de rei veritate, de qua satis constat ex art. præcedente. Et aduerte hic absolute id est indistincte queri, an Spiritus S. procedat à patre per filium. Ratio dubitandi est multiplex sensus dicte propositionis explicatus in corpore, & in response ad primum. Nam in aliquo sensu vera est, in aliquo falsa.

Forma Textus.

CONCL. est. Potest dici, quod pater per filium spirat spiritum sanctum, vel quod spiritus sanctus procedat à patre per filium quod idem est. Probat. In omnibus locutionibus in quibus dicitur aliquis per aliquem operari, hæc præpositio per, designat in causali aliquam causam, seu principium illius actus, vel secundum quod exiit ab agente, adeo ut sit causa agentis, quod agat, siue finalis, siue formalis, siue effectiua, siue motiua, vel designat causam illius actus secundum quod determinatur ad factum, ita ut sit causa facti, ut ab agente procedat, sed filius habet à patre, quod ab eo procedat Spiritus sanctus; ergo potest dici quod pater per filium &c. Maior propositio primo manifestatur exemplis, quod ad singulas partes, ut perspicue patet in textu. Deinde quo ad utramque partem simul, in illa quorundam diuersa forma loquendi idem omnino significante: dicebant enim hanc præpositionem per, quandoque denotare authoritatem in recto, ut cum dicitur, Rex operatur per Ballium; quandoque autem in obliquo, ut cum dicitur, Ballius operatur per Regem.

Expositio Textus.

PATRES Latinos & Græcos, qui dixerunt Spiritum S. à Patre per filium procedere, refert Vasquez disp. 146. cap. 6. Quo vero sensu accipienda sit conclusio D. Tho. satis aperte significatur in ipsa probatione conclusionis, & præsertim in minore, quam ponit Caietan. ut antecedit: ex quo deducit immediate conclusionem sic arguendo. Filius habet à Patre quod ab eo procedat Spiritus S. ergo potest dici quod Spiritus S. procedat à patre per filium. Quia forma discursus declarat S. D. veram esse dictam conclusionem, quatenus dictio per designat in illo casuali filium esse causam, siue principium actus significati hoc verbo, procedit: non ut exit ab agente. I. patre, sed ut determinatur ad productum. I. Spiritum S. siue ut alij dicunt, quatenus dictio illa per notat authoritatem in recto: adeo, ut sensus sit: Pater per Filium spirat Spiritum S. siue Spiritus S. procedit à patre per filium id est spiritus sanctus habet à filio quod à spir-

à spiratore procedat: & hoc ipsum, quod est dare Spiritui S. vt à spiratore procedat, habet filius à patre. Et hoc est, quod etiam intendit Cai. in explicatione dictæ consequentiæ: addens hic considerari Spiritum S. vt est à patre mediâtè. Nihil verò aliud significatur ex ea verborum forma, nisi patrem à se virtutè habere spirandi Spiritum sanctum; sed filium eandem habere virtutem à Patre, à qua habet, vt ab eo procedat Spiritus S. Quam expositionem sequuntur Molina & alij quidam ex recentioribus.

Prim. arg. D. Tb. DVBITATIO duplex circa responsonem ad primum argumentum D. Thom. Primum argumentum D. Th. est, quod procedit ab aliquo per aliquid, non procedit ab eo immediatè; Spiritus S. procedit à patre per filium, vt ait conclusio; ergo non procedit à patre immediatè, quod videtur inconueniens. **Solutio.** Responso est. In qualibet actione est duo considerare scilicet suppositum agens & virtutem qua agit: si in patre & filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum S. non cadit ibi aliquod medium; quia hæc virtus est vna & eadem. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes; procedit Spiritus S. à Patre immediatè in quantum est ab eo, & mediâtè in quantum est à filio; & sic dicitur procedere à patre per filium, sicut etiam Abel &c. Circa quam responsonem duplex est dubitatio. Prior est; an eadem notione siue proprietate & virtute pater & filius sint principium Spiritus S. quam proponit & determinat S. D. in 1. dist. 29. a. 3. & Suarez lib. 10. cap. 5. Posterior dubitatio est: an & quomodo pater & filius immediatè producant Spiritum sanctum; quam tractat & resoluit S. D. in 1. sent. dist. 12. art. 3. & explicat Suarez lib. 10. de Trin. cap. 3.

Dub. 1. PRIMA DVBITATIO circa responsonem ad secundum. Quærun hic expositores, num rectè dici possit Spiritum S. esse principaliter, aut propriè à Patre: vel principalius siue magis à Patre, quam à Filio? Cui quæstio respondet hic breuiter S. D. sed latius in primo dist. 12. a. 2. Ex quibus locis colligo sex dicta. Primum est. Spiritus S. nec prius nec plenius nec magis procedit à patre quàm à filio. Probat: quia pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. & vbi est vnitas, non potest esse distinctio plenitudinis. Secundum est. Quamuis Pater dicatur principium, non tamen potest dici primum; quia ibi nõ est aliquid prius & posterius. Tertium est. Pater nõ dicitur causa aut principium primarium Spiritus S. Probat: quia sunt vnum principium; & ideo nullus gradus inuenitur inter eos in spirando Spiritum S. Quartum est. Pater & filius per virtutem spiratiuam equaliter spirant Spiritum sanctum. Probat: quia licet filius habeat à patre hoc, quod spirat Spiritum S. nihilominus tamen non est hoc diuersum in Patre & filio; quia eandem virtutem spiratiuam, quam habet Pater, communicat filio. Quintum est. Spiritus S. dicitur esse principaliter & propriè à patre; quia in patre est authoritas spirationis, à quo etiam filius habet virtutem spiratiuam: maxime cum præpositio, à, apud Græcos denotet relationem ad primam originem. Vnde apud eos non dicitur, quod lacus sit à riuo, sed à fonte. Et inde est quod nõ concedit, quod Spiritus S. sit à filio sed à Patre. Vltimum est. Non est dicendum quin etiam à filio propriè procedat Spiritus S. qui cum patre est vnū principium, non autem sicut riuus & fons sunt principium lacus. Vbi aduerte quintum dictum quo ad dictionem illam principaliter, cum sua declaratione esse D. Aug. in 15. de Trin. cap. 17. Quo ad illam autem dictionem propriè, est D. Hieron.

in expositione symboli ad Cyrillum, & est epistola 18. in tomo 9. in qua tamè epistola dicitur etiam Spiritu S. propriè & verè de patre filioq; procedere.

Ex prædicta D. Tho. doctrina sequitur eos Scholasticos à propria & pia sermonis recitudine deuiasse, qui Spiritum S. affirmant principalius à patre procedere, quàm à filio. Hi verò sunt S. Bonau. Scotus, Dur. Gabriel & Marilius. Sed aliquid peius affirmat Iauellus ita dicens. Eodem sensu potest dici spiritus sanctus spirari magis à patre, quam à filio: sicut concedimus patrem esse maiorem filio: concedimus quidem, quia pater quidquid habet, habet à se, non tamen filius minus habet: quia totum, quod est patris communicatur idem numero ipsi filio; sic pater magis spirat; quia spirat à se, non tamen filius minus spirat: quia eadem virtute spirat. Sed hic discursus solido caret fundamento. Nam etsi dictum sit ab Hylario: *authoritate donantis pater maior est, sed non est minor filius, cui vnum esse donatur*: loquutiones tamen minus propriæ non sunt extendendæ, & multò minus ad earum imitationem aliæ similes efformandæ; cum præsertim ex sacris litteris aut Patribus nullum habeant tutelæ præsidium, sed plurima ex aduerso pugnantia verba veritatis.

Prædictam D. Thom. doctrinam sequuntur & explicant Torres, Zúmel. Mol. Vasq. & Suarez lib. 10. de Trin. cap. 3.

In eadem responsonem notanda est glossa illius propositionis Arist. *Propter quod vnumquodque, & illud magis*: est enim vera, quando illud quod conuenit alicui propter aliquid aliud est diuersum in vtroque; & præcipuè (inquit S. D. in 1.) quando vnum est causa alterius essentiali ordine causæ; tunc enim causalitas sua est respectu totius speciei, & non vnius indiuidui tantum. Sicut calor est magis in igne, quam in corpore mixto; quia propter ignem est in corpore mixto. Quamuis autem filius habeat à patre, quod spirat spiritum sanctum: eandem tamen virtutem spiratiuam, quam habet pater, communicat filio: & ideo per illa equaliter pater & filius spirant spiritum sanctum. Et si non esset vna numero, sed specie tantum: ratio tamen non valeret: sicut patet in omnibus vniuocis generationibus; non enim pater Sortis plus influit in filium Sortis, quàm Sortes. Hæc ferè ad verbum D. Thom.

Responso ad tertium negat ordinem prioris & posterioris inter generationem & spirationem, siue etiam processionem; de quo latius agitur infra q. 42. art. 3. Refert hic Iauel. quædam argumenta Ariminenis contra Scotum statuentem ordinem prioris, & posterioris inter processiones, & personas diuinas. Hanc quæstionem tractat S. Thom. in 1. dist. 12. quest. 1. artic. 1.

SECUNDA DVBITATIO. An sit ordo originis inter Patrem & Filium in actu spirandi? Negat Vasquez vllum esse ordinem originis inter patrem & filium in actu spirandi; quamuis sit inter eos ordo originis in habendo virtutem spiratiuam quoniã (inquit) in eo, in quo est ordo originis inter aliqua, debet esse prioritas; hæc autè nõ est in actu spirandi, sed in habendo virtutem spiratiuam; quæ licet sit eadem in vtroque, prius tamen origine est in vno quàm in alio; habita verò ea virtute simul vterque spirat. Hæc fuit sententia Scoti in 1. dist. 12. q. 2. quam sequitur & tuetur Rada contra 16. art. 3. quam sic explicat. Actus spirandi potest quatuor modis considerari: Primo, secundum se: secundò, quatenus tendit in terminum spiratum: tertio, in ordine ad supposita agentia: quarto, in ordine ad virtutem spiratiuam. Hoc posito statuit duas conclusiones.

Dub. 2. Sententia Vasquezii, Scoti, & Rada.

Prima est. Si consideretur actus spirandi secundum se, vel in ordine ad terminum, vel ad virtutem spiratiuam, vniiformiter omnino spirant pater & filius. Probat; quia actus spirandi est in se vnus omnino in vtroque, & ad eundem terminum scilicet spiritum sanctum, & ab vnica virtute in vtroque existente dimanat. *Secunda conclusio.* Si actus spirandi consideretur in ordine ad supposita spirantia, non vniiformiter spirant pater & filius. Probat; quia sicut pater habet à se vim spiratiuam, filius verò à patre: ita quòd filius spiret, habet à patre, pater verò à se; Nec tamen sequitur (inquit) patrem prius origine spirare, quàm filius: sicut pater prius origine generat quàm spiret, propter ordinem principiorum in producendo; quia tunc spiritus s. non spiraretur à filio, vel spiraretur quando iam est spiratus à patre; & sic filius actum ageret. Est autè hic ordo (inquit) ad a. cum Scoto) Primò in patre est vtraque; secunditas à se, intellectus scilicet & voluntatis; secundò est in patre actus primæ fecunditatis scilicet intellectus; & tunc est in filio secunda fecunditas scilicet voluntatis; quia pater illam ei per generationem comunicauit: tertio est actus secundæ fecunditatis simul à patre & filio habentibus simul illam fecunditatem. Non est igitur (inquit) ordo originis inter spirationem patris & filij, quasi spiret pater in aliquo signo originis, in quo non spiret filius; est tamen ordo ibi in spirando; quia pater cum habeat vim spirandi à se, spirat à se; filius verò non spirat à se, quia vim spiratiuam nõ habet à se, sed ab alio. Ad cuius euidenciam obseruat, quòd pater prius origine est pater, quàm filius sit filius; & pater prius origine est Deus quàm filius: primò, quia deitas cū intellectu est principium, quo pater filio comunicat diuinam naturam; secundò, quia deitas est aliquid essentialè absque respectu ad creaturas, ac per consequens præcedit quodcunque notiones spiratio verò actiua, cum nec sit quid essentialè, nec ratio formalis, nec conditio principij quo pater producit filium in esse spiratoris per generationem, cuius principij ratio formalis & sufficiens est deitas cum intellectu, & conditio, paternitas non est aliqua ratio, ob quam prius origine sit in patre, quàm in filio, sed in eodem signo, quo est in patre, est in filio.

Consultatur
sententia
Vasquezii,
Scoti, &
Rada, &
veritas de-
finitur.

SED HAEC ferè omnia sunt falsa. Nam primò falsum est inter ea debere esse prioritatem, inter quæ est ordo originis, vt ait S. D. infra q. 42. a. 3. secundò commentitium est illud discrimen, quòd statuunt inter habere virtutem spiratiuam & actum spirandi quo ad ordinem originis. Nã ordo originis attenditur penes hæc duo scilicet à quo alius, & qui ab alio. Sicut autem filius non habet à se, sed à patre virtutem spiratiuam; ita nec actum spirandi habet à se, sed à patre vt etiam affirmat Scotus. Igitur sicut est ordo originis inter patrem & filium in habendo virtutem spiratiuam, est etiam inter eos ordo originis in actu spirandi.

Vasquezii
responsio.

Sed ait Vasq. spirare à se, aut spirare ab alio solū significat ordinem originis in habendo virtutem, non in spirando; si quidem ipsa spiratio, quæ est origo, ordinem constituit inter spirantem & spiratum; cum tamen simul sit ab vtroque eadem virtute fecundo.

conius.

Sed hæc responsio non diluit argumentum. Ad cuius euidenciam considerandum est ordinem originis in diuinis per se primò conuenire personis secundum se sumptis; propriè enim & per se primò persona est à persona, quòd est personam habere ordinem originis ad personam. Et

A quia persona est à persona secundum omnia, quæ in ea sunt, idcirco non solum persona secundum se, puta filius est à persona puta patre, sed etiam hoc quòd est filium esse Deum, sapientem, volentem, & secundum hoc, quòd est sapere, & amare in filio, est à patre acceptum; & eadem ratione etiam spiratorem & actu spirantem in filio est à patre. Sicut igitur non est ordo inter sapientiam aut sapere patris, & sapientiam & sapere filij secundum se; cum sit vna vtriusque sapientia & vnus sapere, & tamen est ordo inter patrem & filium in habere sapientiam & eius actum; quia sapientiam & sapere pater habet à se, & filius à patre: ita non est ordo inter virtutem spiratiuam, aut actum spirandi patris & filij; cum vna sit vtriusque virtus & spiratio: sed tamen est ordo originis inter patrem & filium quo ad hoc, quòd est habere virtutem spiratiuam & actum spirandi; quia pater vtrumque habet à se & filius vtrumque habet à patre. Cùm igitur ait Vasquez non esse ordinem originis inter patrem & filium in spirando, quia spiratio quæ est origo, ordinem constituit inter spirantem & spiratum, dico verum esse loquendo de ordine originis, prout attenditur inter personas secundum se, quibus per se primò conuenit. Sic enim spiratio constituit ordinem originis inter spiratorem, qui sunt pater & filius; & spiratum qui est spiritus sanctus. At loquendo de ordine originis, qui attenditur non inter personas secundum se, sed vt habentes aut non habentes aliquam virtutem vel actum, est ordo originis inter patrem & filium quo ad actum spirandi non constitutus per ipsum actum, sed per hoc, quòd est habere à se actum illum vel ab alio. Immo, si verum est, quòd ait Caietanus Caiet. dist. 1. singulare. infra q. 4. a. 5. diuinam naturam non solum vt pater, sed etiam vt in patre propriam esse patris; quoniam vt in patre seu vt patris, potentia est generandi, quæ paternitatem includit in obliquo: affirmari eadem ferè ratione posset esse ordinem originis inter virtutem spiratiuam prout est patris siue in patre, & eandem prout est filij siue in filio; quoniam vt patris est siue in patre formaliter, quodammodo propria est patris ob relationem paternitatis in obliquo significatam; & eadem ratione spiratio vt est filij, siue vt est in filio, propria est filij; quamuis eadè secundum se siue absolute vna & eadem sit in patre & filio; sicut essentia secundum se vna & eadem est in tribus. Sed quia noua est hæc loquendi forma & apud Patres & Scholasticos in consuetudine non facile est admittenda.

Nec Scoto concedimus ordinem illum originis tam multiplicem secundum prius & posterius; sed ordinem omnem originis in diuinis didicimus ex Augustino cum D. Thom. esse secundum hæc duo scilicet à quo alius & qui ab alio. Neque verum est, quòd ait Rada spirationem actiuam prout est proprietatem non esse necessariam ad constituendum patrem & filium in esse spiratoris, sed in patre sufficere deitatem cum intellectu, vt rationem formalem principij; paternitatem autem, vt conditionem; oppositum enim verum est, vt ostendimus in a. seq. Vnde idem ordo originis, qui est inter patrem & filium quo ad esse Deum, est etiam quo ad esse spiratorem, & quo ad actum spirandi, considerata ratione formali spiratoris & actus; quidquid sit de conditione, quæ est pluralitas suppositorum.

In responsione ad 4. arg. nota duplicem conditionem requisitam vt fiat conuersio, cum dicitur

August. D.
Thom.

tar aliquis per aliquem operari. Prima est liber-
tas in vtroq; operate, vt scilicet vtrumq; domi-
nium habeat suae operationis. Secundò requiritur
ordo & distinctio, non tantum suppositoru,
sed etiam virtutum; vt perspicue demonstratur
in littera. Cum igitur inter patrem & filium nõ
sit ordo & distinctio quantum ad virtutem, sed
solum quantum ad supposita, non potest dici,
filius spirat per patrem, sicut dicitur pater spirat
per filium. Ex quo patet Turrianum & Molinã
sequentes Dur. perperam admittere conuersio-
nem in dicta propositione, vt hic etiam aduertit
Ripa.

Resicitur
dist. Tur-
riani, &
Molinã.

ARTICVLVS QVARTVS.

197.
1. dist. 11. de
2. & 4. Et
4. contra c.
25. fi. & op.
1. c. 11. fi. Et
op. 9. c. 25.
10. 8. lec.
15. lec.
3.

Vtrum Pater, & Filius sint vnum principium Spiri-
tussancti.

AD Quartum sic proceditur. Videtur, quod Pa-
ter, & Filius non sint vnum principium Spiri-
tussancti. Quia Spiritussanctus non videtur à patre, &
filio procedere in quantum sunt vnum: neque in natu-
ra, quia Spiritussanctus sic etiam procederet à seipso,
qui est vnum cum eis in natura. Neque etiam in quan-
tum sunt vnum in aliqua proprietate, quia vna pro-
prietas non potest esse duorum suppositorum, vt vide-
tur. Ergo Spiritussanctus procedit à patre, & filio,
vt sunt plures. Non ergo pater, & filius sunt vnũ
principium Spiritussancti.

2 Præterea. Cum dicitur, pater, & filius sunt v-
num principium Spiritussancti, non potest ibi desi-
gnari vnitas personalis, quia sic pater, & filius es-
sent vna persona. Neque etiam vnitas proprietatis.
Quia si propter vnã proprietatem pater, & filius
sunt vnum principium Spiritussancti, pari ratione pro-
pter duas proprietates pater videtur esse duo principia
filij, & Spiritussancti: quod est inconueniens. Non
ergo pater, & filius sunt vnum principium Spiritus-
sancti.

3 Præterea. Filius non magis conuenit cum patre,
quam Spiritussanctus: sed Spiritussanctus, & pater non
sunt vnum principium respectu alicuius diuina persona.
Ergo neque pater, & filius.

4 Præterea. Si pater, & filius sunt vnum princi-
pium Spiritussancti, aut vnum, quod est pater, aut vnũ,
quod non est pater: sed neutrum est dare. Quia si vnũ,
quod est pater, sequitur, quod filius sit pater. Si vnum,
quod non est pater, sequitur, quod pater non est pater.
Non ergo dicendum est, quod pater, & filius sint vnum
principium Spiritussancti.

5 Præterea. Si pater, & filius sunt vnum princi-
pium Spiritussancti, videtur è conuerso dicendum, quod
vnum principium Spiritussancti sit pater, & filius. Sed
hac videtur esse falsa. Quia hoc, quod dico principium,
oportet, quod supponat vel pro persona patris, vel pro
persona filij, & vtroque modo est falsa. Ergo etiam
hac est falsa, pater, & filius sunt vnum principium
Spiritussancti.

6 Præterea. Vnum in substantia facit idem. Si igitur
pater, & filius sunt vnum principium Spiritussancti,
sequitur, quod sint idem principium: sed hoc à multis
negatur. Ergo non est concedendum, quod pater, & fi-
lius sint vnum principium Spiritussancti.

7 Præterea. Pater, & filius, & Spiritussanctus, quia
sunt vnum principium creaturae, dicuntur esse vnus crea-
tor: sed pater & filius non sunt vnus spirator: sed duo
spiratores vt à multis dicitur. Quod etiam consonat
Li. 1. de tri. dictis Hilari. qui dicit in secundo * de Trin. quod Spi-
ritussanctus à patre, & filio auctoribus constitendus est.
à fine libri. Ergo pater, & filius non sunt vnum principium Spiri-
tussancti.

Li. 1. de tri.
nou remote
à fine libri.

Sed contra est, quod Aug. dicit in * 7. de Trin. quod Li. 5. de vi.
pater, & filius non sunt duo principia, sed vnum prin-
cipium Spiritussancti. c. 14. in fi.
tom 3.

Respond. Dicendum, quod pater, & filius in omni-
bus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos re-
lationis oppositio. Vnde cum in hoc, quod est esse prin-
cipium Spiritussancti non opponantur relatiue, sequi-
tur, quod pater & filius sunt vnum principium Spiritus-
sancti. Quidam tamen dicunt hanc esse impropriam,
pater & filius sunt vnum principium Spiritussancti. Quia
cum hoc nomen principium singulariter acceptum, nõ
significet personam, sed proprietatem, non potest con-
uenienter dici, quod pater & filius sint vnum princi-
pium Spiritussancti, nisi vnum intelligatur quasi aduer-
bialiter positum, vt sit sensus, sunt vnum principium,
id est, vno modo. Sed simili ratione posset dici pater duo
principia, filij, & Spiritussancti. id est, duobus modis. Di-
cendum est ergo, quod licet hoc nomen, principium, si-
gnificet proprietatem, tamen significat etiam per mo-
dum substantiui: sicut hoc nomen pater, & filius etiam
in rebus creatis. Vnde numerum accipit à forma signi-
ficata, sicut & alia substantiua. Sicut d igitur pater
& filius sunt vnus Deus propter vnitatem forma signi-
ficata per hoc nomen Deus, e ita sunt vnum d princi-
pium Spiritussancti propter vnitatem proprietatis signi-
ficata in hoc nomine principium.

Ad Primum ergo dicendum, quod si attendatur
virtus spiratiua Spiritus sancti procedit à patre, & filio,
in quantum sunt vnum in virtute d spiratiua, quã quod-
dammodo significat naturam cum proprietate, vt in
fra dicitur. Neque est inconueniens, vnã proprietatem
esse in duobus suppositis, quorum est vna natura, si
verò considerentur supposita spirationis, sic Spiritus S.
procedit à patre, & filio, vt sunt plures. Procedit enim
ab eis, vt amor vnitiuus duorum.

Ad Secundum dicendum, quod cum dicitur, pater
& filius sunt vnum principium Spiritus S. designatur
vna proprietas, quã est forma significata per nomen.
Non tamen sequitur, quod propter plures proprietates
posset dici pater plura principia, quia implicaretur plu-
ralitas suppositorum.

Ad Tertium dicendum, quod secundum relatiuas
proprietates non attenditur in diuinis similitudo, vel
dissimilitudo, sed secundum essentiam. e Vnde sicut
pater non est similior sibi, quam filio, ita nec filius si-
milior patri, quam Spiritussanctus.

Ad Quartum dicendum, quod hac duo scilicet pa-
ter & filius sunt vnum principium, quod est pater,
aut vnum principium, quod non est pater: non sunt
contradictorie opposita. Vnde non est necesse alterum
eorum dare. Cum enim dicimus: pater & filius sunt v-
num principium, hoc quod dico, principium, non ha-
bet determinatam suppositionem: immo confusam
pro duabus personis simul: vnde in processu est fallacia
figura dictionis à confusa suppositione ad determina-
tam.

Ad Quintum dicendum, quod hac etiam est vera,
vnum principium Spiritussancti est pater, & filius, quia
hoc, quod dico principium, non supponit pro vna perso-
na tantum, sed indistincte pro duabus, vt dictum *
est.

Ad Sextum dicendum, quod conuenienter potest di-
ci, quod pater, & filius sunt idem principium, secun-
dum quod ly principium, supponit confusẽ, & indistin-
ctẽ pro duabus personis simul.

Ad Septimum dicendum, quod quidam dicunt,
quod pater, & filius, licet sint vnum principium Spiri-
tussancti. sunt tamen duo spiratores propter distin-
ctionem suppositorum, sicut etiam duo spirantes, quia
actus referuntur ad supposita. Nec est eadem ratio de
hoc nomine, creator, quia Spirituss. procedit à patre,
S & fi-

D. 493.

D. 496.

204.

D. 1130.

D. 1062.

In solus ad

7. arg. hã

im arg.

595.

223.

6

D. 1134.

In solutio-
ne preced.

arg.

arg.

S & fi-

In solis ad 1. arg. huius non autem creatur a procedit à tribus personis vt sunt persone distincte: sed vt sunt vnum in essentia. sed videtur melius dicendum, quod quia spirans adiectiuum est, spirator vero substantiuum, possumus dicere, quod pater, & filius sunt duo spirantes, propter pluralitatem suppositorum, non autem duo spiratores propter vnam spirationem. Nam adiectiua nomina habent numerum secundum supposita: substantiua vero à seipsis, secundum formam significatam. Quod vero d. Hylarius dicit, quod spiritus sanctus est à patre, & filio auctoribus, exponendum est, quod ponitur substantiuum pro adiectiuo.

D. 411.
1133.
D. 927.
118.
D. 40.

PRIMA CONTROVERSA.

De sensu quaestio: id est, quo sensu quaeratur: vtrum Pater & Filius sint vnum principium Spiritus sancti.

Sententia suppositorum.

Vasquez disp. 148. cap. 1. sequens Scotum in 1. dist. 12. q. 1. & Durand. dist. 24. q. 2. & 3. & Gabr. dist. 12. q. 1. affirmat quaest. hanc apud Catholicos esse de solo nomine & modo loquendi, an scilicet dici possint pater & filii duo an potius vnum tantum principium Spiritus sancti: Quam quaestionem ait in re tam ardua referre plurimum ne verbis inordinatis errore astruamus.

Sed Cai. duplicem hic ait esse quaestionem: vnam de re, an scilicet verè & realiter pater & filius sint vnum numero principium Spiritus S. altera de propositione iam dicta, an scilicet proprie sumpta sit vera. Sententiam Cai. sequuntur Carnariensis in 2. parte comm. Zumel. disp. 1. Ban. & Val. super hoc a. qui etiam oppositam sententiam temerariam esse pronunciant. In eandem sententiam inclinat Pelantius.

Resolutio. Probatur ex D. Th. & alijs quaestio nem hic esse de re duplicem non de solo modo loquendi.

SCIENDVM est, propositam quaestionem quo ad rem ipsam duplicem proferre sensum. Vnus est: an pater & filius sint vnum principium Spiritus S. quo ad virtutem spirandi; quod est quaerere de vnitatem principij quo, vt patet ex 1. dist. 11. a. 2. & 3. vbi quaeritur an Spiritus S. procedat à patre & filio in quantum sunt vnum in natura. Alter est, an pater & filius sint vnum principium quod Spiritus S. ita vt sint vnum spirans vel vnus spirator. In quo implicatur quaestio de proprietate constitutiua talis principij & de modo vnitatis, vt patet ex 1. dist. 29. a. 3. vbi quaeritur, vtrum eadem notione pater & filius sint principium Spiritus S. Certum est autem. Th. hic prima sua conclusione respondere de re significata per hoc nomen, principium, indifferenter ad vtrumque sensum praedictum, siquidem probatio procedit tam de virtute spiratiua, quam de proprietate constitutiua spiratoris, vt patet; Nam quo ad neutrum opponuntur pater & filius. Et quamuis secunda conclusio sit principaliter de propositione siue de modo loquendi: includit tamen, vt congruae loquutionis fundamentum rem significatam scilicet proprietatem relatiuam communem patri & filio: cuius vnitatem expressè & formaliter assumit probatio conclusionis: & ex ea tanquam ex re significata deducit praedictam propositionis proprietatem & congruentiam. Primum autem argumentum cum sua responsione manifestè procedit de re & vtrumque complectitur scilicet virtutem & proprietatem. Ex quibus omnibus apparet primò quaestionem hic esse de re, & non de solo nomine aut modo loquendi. Secundo quaestionem de re duplicem esse, vt ante diximus. Quamobrem plures hic mouet quaestiones expositores ad rem significatam per-

tinentes, qualis ea est quam tractat hic Cai. circa resp. ad primum argum. Et quamuis proposita quaestio in priori sensu, scilicet de virtute spiratiua, paruam ac nullam ferè videatur habere difficultatem, supposita duorum praecedentium articulo- rum doctrina, cum ijs, quae supra q. 28. determinata sunt de numero relationum, & q. 32. a. 3. de numero notionum: si tamen S. D. institutum ordinatè & scientificè scribentis attendamus, necesse fuit, vt in hoc articulo veluti in propria sede quaestionem illam ex proprijs & (vt aiunt) ex professo determinaret. Difficultas etià emergens ex parte principij quod non paucas & sinuosas speculantibus offert angustias, tam ex virtute & proprietate spiratiua, quam ex pluralitate suppositorum spirantium, quam etiam ex numero diuinarum personarum, ne quarta constitutur in Deo persona, quae sit & dicatur spirator, vt magis patebit ex dicendis in singulis ad hunc articulum controuersijs. Cum igitur praedictae quaestioni annexae sint intimè praedictae difficultates: necesse est eam cõmuniter apud Theologos esse de re, non autem de solo nomine aut de solo modo loquendi.

Quapropter Vasq. qui de solo nomine quaestionem proponit disp. 148. aliam in sequenti disputatione de re quaestionem instituit: vbi quaerit, an S. S. procedat à patre & filio, vt à duobus spiratoribus vi suae processiois; quae tamè ad exactam prioris determinationem est apprime necessaria. Denique Concilium Flor. sess. vltima, & Lugd. non de solo modo loquendi, sed de re ipsa quaestionem definiunt, vt etiam fatetur Vasq. Et licet quaestiones de modo loquendi non sint infructuosae, sed ad rectam fidei confessionem & ad evitandos errores maximè necessariae; haec tamen non est inter huius generis quaestiones praecise numeranda, ob rationes superius assignatas; & alias quas hic afferunt Ban. & Zum.

Forma Textus.

RESPONDET S. D. quaesito primò quo ad rem; deinde relata & reiecta quorundam opinione respodet quo ad loquutionis proprietatem.

PRIMA CONCL. est. Pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti. Probatur. Pater & filius in omnibus sunt vnum, in quibus non distinguit inter eos relationis oppositio. Sed in hoc quod est esse principium Spiritus S. non opponuntur relatiue; ergo.

SECUNDA CONCL. Haec propositio est propria: Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti. Probatur primò ratione. Omnia substantiua numerum accipiunt à forma significata; sed hoc nomen principium est substantiuum & eius forma significata est vna; ergo proprie dicitur pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. Maior patet. Minor probatur primò quo ad priorem partem; quia licet hoc nomen principium significet proprietatem, tamè significat eam per modum substantiui. Quod probatur in similibus; quia hoc nomen Pater & Filius, etiam in rebus creatis est substantiuum; & tamè significat proprietatem. Quo ad secundam verò partem probatur; quia proprietas (nimirum spiratio) hoc nomine principium significata vna est Patris & Filij. Secundo probatur conclusio à simili; quia Pater & Filius sunt vnus Deus propter vnitatem formae significatae per hoc nomen Deus; ergo similiter sunt vnus principium Spiritus S. propter vnitatem proprietatis significatae hoc nomine principium.

CON-

CONTROVERSIA SECUNDA.

Quid significet & pro quo supponat nomen principium in hac propositione; Pater & filius sunt vnum principium Spiritus sancti.

Sententia
Dottorum.

REFERUNT hic recentiores sententiam Othani & Gab. eius discipuli ex primo sent. dist. 12. qui dicunt quinque. *Primum* est. Sicut ex spiratione passiva & diuina essentia constituitur Spiritus S. ita ex actiua spiratione & diuina essentia constituitur spirator, siue principium spirandi Spiritum S. quod est quartum constitutum commune patri & filio, distinctum ab utroque non re sed ratione tantum; à Spiritu S. vero propter relatiuam oppositionem distinctum realiter. *Secundum* est. Hoc constitutum non est quarta persona in diuinis; quia commune est patri & filio. *Tertium* est. Hoc, quod dico principium Spiritus S. non supponit immediatè pro patre & filio, sed pro dicto quarto constituto. *Quartum* est. Spirare conuenit formaliter & immediatè illi quarto constituto, ratione cuius dicuntur propriè pater & filius vnum principium Spiritus S. *Quantum* est. Quatenus hoc nomen spirator, siue principium Spiritus S. supponit mediatè pro patre & filio, pater & filius dici possunt plura principia Spiritus S. & plures spiratores. Sed ne simplicibus erroris præbeat occasio, non est hic modus loquendi in usum deducendus.

Mol. *disputatione secunda* sequitur eadem sententiam quo ad duo priora dicta, & addit alia duo. *Primum* est. Ratio spiratoris non ita est de intrinseca ratione patris & filij vt est essentia diuina. Sed quia spiratio actiua nihil cum patre & filio pugnat, quin potius eam sibi efflagitant; ratio spiratoris communis est per identitatem realem & formalem patri & filio, qui suapte natura eam sibi vendicant; estque vnum per se tam cum patre, quam cum filio. *Secundum* est in *disputatione* 3. Hæc vocabula, principium Spiritus S. spirator & spirans substantiue sumpta supponunt indistinctè & vnica suppositione pro constituto ex essentia diuina & spiratione actiua, quod indiuiduum est subsistens patri & filio commune, & pro patre & filio siue sigillatim siue simul spectentur.

Val. tria dicit. *Primum* est. Principium Spiritus S. est vnum quiddam simplicissimum, quod constat ex persona patris & filij, & essentia diuina ac relatione spiratoris identificans sibi patrem & filium. *Secundum* est. Spiritus S. procedit quoque à patre & filio vt plures ac distinctæ personæ subsistentes sunt. *Tertium*. Hoc nomen principium vt nomen est singulare supponit determinatè pro vno illo simplicissimo, & hæc est maximè propria suppositio ei: quia magis propriè est nomen singulare quam commune. Vt autè id nomen habet conditionem nominis communis, sic supponit pro vtraque persona confuse & pro neutra determinatè. Et ex his latè ab eo declaratis proficitur se ad bonum sensum reducere omnes Theologorum sententias, etiam eas quæ cõmuniter reputantur absurdæ.

Tur. siue Canariensis dicit tria. *Primum* est. Non est asserendum quartum constitutum in diuinis, ne videamur etiam verbis insinuare quaternitatem personarum. *Secundum* est, Spirator nihil aliud est quam spiratio seu virtus spirandi per se subsistens in concreto significat

A ta hoc nomine spirator, seu hoc nomine principium Spiritus S. Tertium est. In hac propositione, Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus sancti illud nomen principium accipitur determinatè pro relatiuo communi Patri & Filio, & etiam conlusè pro patre & filio simul.

Vasq. duo dicit. *Primum*. Cum dicitur, Pater & Filius sunt vnum principium Spiritus S. nomen principij non supponit indeterminatè, sicut terminus homo in hac propositione, homo currit: sed singulariter, sicut terminus Deus in hac, Pater & Filius sunt vnus Deus. Cum enim dicimus, Pater & filius sunt vnum principium spirandi; perinde est ac si dicamus, sunt hoc principium spirandi; quia principium spirandi vnum tantum est. *Secundum* est. Spirator non constituitur ex essentia & spiratione actiua veluti ex proprietate contrahente, vt voluit Gabriel: sed spirator est natura cum proprietate communi spirandi, connotando supposita in obliquo, non hoc aut illud particulare.

Cæter. hic circa resp. ad 4. & quintum ait regulam illam; sub prædicato confuso licet descendere ad eius singularia per propositionem de disiuncto extremo; non habere locum vbi sub prædicato non sunt plura singularia, sicut in re proposita; nam singulare principij non est pater aut filius, sed hoc principium quod vnum numero est. Quibus verbis videtur significare nomen hoc principium dictum de patre & filio supponere pro illo communi singulari, qui est spirator. Quam sententiam sequitur Iauel. dicens, hic non esse suppositionem communem mobilem sed immobilem: cum hic non sint plura singularia principij, ad quæ possit fieri descensus.

Capr. in 1. distinct. 12. quest. 1. ait primò nomen illud principium supponere confuse & immobiliter, cum habeat copulatum subiectum; sicut etiam ista, Parisijs & Romæ venditur iste piper; & ideo (inquit) non licet descendere disiunctiue, quia esset fallacia figuræ dictionis à suppositione confusa ad determinatam; & ideo non valet, sunt principium, ergò sunt hoc vel hoc principium. *Secundò* ait licere descendere disiunctiue sic, ergò Pater & filius sunt hoc vel hoc principium, demonstrando per primum hoc vnam personam, & per secundum hoc aliam. Ex quo apparet Capr. sensisse nomen hoc principium supponere primò & immediatè pro personis patris & filij vt sunt spirantes, non autem pro singulari vtrique communi, qui est spirator; quamuis assermet idem nomen significare formam, quæ non plurificatur scilicet spirationem.

Bannes tria dicit. *Primum* est. Spirator non est quartum constitutum ex essentia & spiratore. *Secundum* est. Sicut cum dicimus, pater & filius & spiritus sanctus sunt vnus Deus, idem Deus & hic Deus prædicatum Deus accipitur, & supponit pro vno singulari illius termini concreti, qui est hic Deus: ita cum dicimus, pater & filius sunt vnum principium spiritus sancti, verificatur propositio de hoc principio singulari relatiuo quidem ad spiritum sanctum, sed communi patri & filio; quemadmodum hic Deus singularissimus communis est tribus personis. *Tertium* est. Prædicatum illud principium habet suppositionem confusam in hoc sensu, quod accipitur pro aliquo multis comunicabili indistinctè. Vnde cum dico, pater & filius

filii sunt vnum principium, quod est pater, re-
latium illud quod dupliciter potest accipi. Vno
modo copulatiue, vt sit sensus, pater & filius
sunt vnum principium, & illud est pater: & sic
est vera propositio. Alio modo dictio illa, quod,
accipitur restrictiue respectu predicati, vt scilicet
totum hoc sit vna propositio categorica,
pater & filius sunt vnum principium Spiritus S.
quod est pater, cuius predicatum sit vnum prin-
cipium, quod est pater: & in hoc sensu falsa est
propositio & negatur à D. Thom. in respons.
ad 4.

Zum. dicit sex. *Primum.* Nullo modo debe-
mus affirmare quartum constitutum distinctum
à patre & filio & Spiritu sancto. *Secundum.* Spi-
ratio constituit relatum tantum, & ideo habet
officium puræ relationis iam adueniens personæ
constitutæ; & ideo nullo modo præintelligi-
tur origini ipsius Spiritus S. *Tertium.* Spirator
prout est formaliter quid relatum, non potest
immediatè supponere nisi pro patre & filio, di-
uerso tamen modo, quam principium Spiritus
sancti vt sic: Nam principium Spiritus S. dicit
patrem & filium, vt habent eandem voluntatem,
& conueniunt in hoc modo habendi illam scilicet
absque processione voluntatis; hoc namque
est habere vnam virtutem spirandi. At verò spi-
rator relatiue supponit pro patre & filio vt sunt
vnum in relatione spirationis; quia de formali
significat relationem, connotat verò quasi sub-
iectum ipsius relationis immediatum patrem &
filium; non enim intelligitur (inquit) hæc rela-
tio immediatè coniuncta essentia; sed vt im-
mediatè in patre & filio. *Quartum* est. Principiū
Spiritus sancti supponit pro patre & filio simul,
& pro vnoquoque eorum seorsum; ita vt neque
habeat tantum suppositionem confusam vel col-
lectiuam, neque tantum determinatam; sed vtrā-
que simul. *Quantum* est. Rationabiliter concedi-
tur quod in sæpe dicta propositione nomen il-
lud, *principium*, accipitur determinatè pro spirato-
re; nam sicut Deus est communis patri & filio,
ita & spirator: & sicut non sunt plures Dij, ita
nec plures spiratores nec plura principia. *Sextum*
est. In his propositionibus pater & filius sunt v-
num principium Spiritus S. seu idè principium,
aut hoc principium, predicatum habet supposi-
tionem confusam; quia accipitur pro aliquo
multis communicabili indistinctè. Et sicut in his
propositionibus, pater & filius & spiritus S. sunt
vnus Deus, hic Deus, & idem Deus predicatum
accipitur, & supponit pro vno singulari illius
termini concreti, nempe hic Deus; ita cum dici-
mus, quod pater, & filius sunt vnum principium
spiritus sancti, supponit dictio illa, principium,
pro hoc principio singulari relatiuo quidem ad
spiritum S. sed communi Patri & Filio.

Suar. lib. 10. de Trin. dicit quatuor. *Primum cap.*
4. Sententia Ocham. & Gab. de quarto consti-
tuto quod sit immediatum principium spiritus
sancti, falsa est. *Secundum* in 7. cap. Predicatum
illud spirator aut principium nō habet vim ter-
mini collectiui, vt ideo supponat pro patre &
filio simul, vt videtur hic docere D. Thom. &
Caiet. & Capr. in 1. dist. 7. & 12. quæst. 7. dicentes
predicatum illud supponere confuse & immo-
biliter ratione illius particulæ, & positæ ex parte
subiecti. *Tertium* spirator immediatè ac de-
terminatè supponit pro subsistente in hac vir-
tute spirandi, ita vt ex parte virtutis dicat sin-
gularitatem: ex parte verò subsistentiæ commu-
niter & confuse dicat subsistens in illa virtute

cum conditione sufficienti ad spirandum: & ideo
potest de patre & filio, tam simul quam sigilla-
tim predicari: quamuis de patre & filio simul
nulla persona determinatè vt talis est, possit pre-
dicari. *Quartū.* si sumatur spirator pro illo prin-
cipio, quod includit nō solum totam virtutem,
sed etiam omnem conditionem adquatè neces-
sariam in principio spiritus S. supponit pro pa-
tre & filio simul, vt ait D. Th.

Ripa sententiam sic approbat Cap. & Cai. vt
opinionem simul amplectatur Mol. de constitu-
tione spiratoris tanquam à D. Th. doctrina mi-
nimè dissonantem.

QVAESTIO hæc non est de principio, quo
spiratur spiritus S. de hoc enim nulla est inter
orthodoxos controuersia; consentiunt enim om-
nes spiritum S. procedere à Patre & filio, in
quantum sunt vnum in virtute spiratiua, vt hic
ait San. Doct. ad primum. De quo vide si placet
Suar. lib. 10. cap. 5. latè differentem. sed quæstio
est de principio, quod spirat spiritum S. an scili-
cet sit vnum aliquod subsistens constitutum ex
spiratione & essentia, aut quouis alio modo; an
autem sit pater & filius vt habentes spirandi po-
tentiam, & pro quo supponat nomen hoc prin-
cipium.

IN HAC verò difficultate attigisse me verita-
tis punctum existimauero, si definitionem eius
ex Angel. nostri D. mente protulero. Sunt au-
tem plura eiusdem S. D. asserta mentem eius nō
obscure significantia. Primum est in primo sen-
tent. dist. 29. art. 4. vbi sic ait. Vna ergo numero
notio est patris & filij, secundum quam principia Spi-
ritus sancti dicuntur: & quibusdam interpositis: Cū
igitur communis spiratio nominè specialem rationem
principij, secundum specialem modum originis, impossi-
bile est, quod sit nisi vna numero in patre & filio. Hæc
ibi. Ex quibus verbis satis apertè colligitur spi-
rationem actiuam, prout est notio & relatio, ef-
se rationem specialem principij, id est speciali-
ter constitutiuam principij, & secundum eam
patrem & filium dici principium spiritus S. si-
cut dicimus paternitatem esse specialem ratio-
nem principij, quod est pater, id est specialiter
constitutiuam, & secundum eam patrem dici
principium. Quod patet etiam ex quæsito in il-
lo articulo; quærit enim, vtrum eadem notione pa-
ter & filius sint principium: quod est quærere: vtrū
eadem notione, quæ est relatio, constituantur
in esse principium spiritus S. igitur responsio in-
telligenda est etiam de ratione constitutiuam prin-
cipij. In distinctione autem vndecima, articulo
2. & 3. ita loquitur S. D. Pater & filius spirant spi-
ritum sanctum in quantum sunt vnum in potentia spi-
ratiua, quæ dicit aliquid quasi medium inter essen-
tiam, & proprietatem: eod quod dicit essentiam sub
ratione proprietatis: sic enim actus notionalis ab essen-
tia egreditur; generatio enim ab essentia non egredi-
tur in quantum est essentia, sed in quantum est pa-
ternitas. Et ista scilicet essentia, & paternitas dif-
ferrent in diuinitate, egrediretur generatio ab vtroque;
sed à paternitate immediatè, & ab essentia sicut à
primo principio. Similiter dico, quod spiratio egredi-
tur ab essentia, non sicut à spirante, sed sicut à prin-
cipio spirationis, in quantum habet rationem alicuius
notionis, quæ est communis patri, & filio, quæ dicitur
communis spiratio. Et ita spiratiua potentia dicit es-
sentiam sub ratione talis proprietatis. Et ideo
dico, quod procedit spiritus sanctus à patre, &
filio, in quantum sunt vnum in essentia, & in aliqua
notione, scilicet communi spiratione. Hæc ibi S. Tho-

Sensus hæc
sunt.

Resolutio.
Principium
quod spirat
spiritum S.
non est spirans
sed constitutum
sub
filiis ex es-
sentia, &
communi pro-
prietate scilicet
spiratiua.

mas. Vbi perspicue docet primò ante actum spirationis in essentia, & consequenter etiam in patre & filio modo nostro concipiendi intelligi notionem communem Patri & filio, quæ dicitur communis spiratio: Sicut in persona patris ante actum generationis concipitur notio siue relatio paternitatis, qua pater constituitur in esse patris, vt sit principium generationis; alioquin vana & inuisibilis esset comparatio inter paternitatem & spirationem: nec verè ac propriè diceretur spiratio egredi ab essentia, sicut à principio spirationis, in quantum habet rationem alicuius notionis, &c. sed potius ideo habere ratione alicuius notionis, quia ab ea egreditur actus, si notio non præcedit sed consequitur actum. Et præterea certum est spiratiuam potentiam in patre & filio præcedere actum spirandi; igitur etiam relatio spirationis, sine qua non habet essentia rationem potentie spiratiuæ. Sicut ergo in spiratiua potentia, quæ est principium quo, præintelligitur spiratio vt notio & relatio, ante spirationem vt actio est: ita in spirantibus siue spiratore, scilicet patre & filio, quibus conuenit prædicta potentia & per eam actus spirandi, prius intelligitur spiratio vt notio & vt relatio spiratoris constitutiua, quam eadem vt actio ex spiratiua potentia proueniens. Sicut enim potentia præcedit actui, ita & multò magis id est principalis ipsum agens. Idem confirmant ea verba præsentis articuli, *ly principium significat proprietatem per modum substantiæ; sicut ly pater, & filius in rebus creatis. Vnde numerum accipit à forma significata, sicut alia substantiua, &c.* Et in primo sententiarum idem expressius affirmat; igitur forma constitutiua principij in esse principij est relatio spirationis; ergò præintelligitur actus spirationis. Probatur illatio; quia principium omne cum sua propria forma præcedit actum suum, si non tempore vel natura saltem cogitatione; alioquin nec esset nec intelligi verè posset esse principium: cum de ratione principij sit ordo ad id, quod ex eo procedit. Docet præterea S. D. in dictis verbis in ratione spiratiuæ potentie claudi essentiam & relationem ad Spiritum S. igitur multò magis in ratione spiratoris, cuius est spiratiua potentia, vtrumque clauditur: at in spiratore secundum propriam & formalem rationem spiratoris (quidquid sit de conditione) nihil aliud intelligitur, quàm essentia diuina subsistens & relatio spirationis; ergò spirator constituitur ex essentia & relatione spirationis. Ad cuius euidentiam.

Secundo considerandum est ex D. Th. in primo sent. dist. 11. Spiritum S. procedere à patre & filio in quantum sunt vnum, & in quantum sunt plures. Si quidem omnis actio ad duo refertur originaliter, nimirum ad agens, quod est ipsum suppositum, & ad principium actionis, quod est aliqua forma in ipso substantialis vel accidentalis. Dicitio igitur illa in quantum potest dicere siue specificare conditionem agentis, vel principium actionis. Si dicat conditionem agentis: sic procedit Spiritus S. à patre & filio, in quantum sunt plures & vt distinctæ personæ. Si autem dicat conditionem principij actionis; sic procedit ab eis, in quantum sunt vnum; quia cum vna operatio non sit nisi ab vno principio, oportet aliquid esse vnum in patre & filio, quod est principium huius actus, quod est spirare, qui est vnus & simplex, quo vna & simplex persona spiritus sancti procedit. Hæc ferè ad verbū D. Th. Ex quibus apparet in principio quod spiratiuo duo considerari. Vnum est ratio formalis

A ipsius principij constitutiua, quam S. D. ait esse formam substantialem vel accidentalem: hæc autem in re propofita est essentia cum notione spirationis. Alterum est conditio agentis scilicet spirantis vel spiratoris: hæc verò est pluralitas personarum; eo quòd Spiritus sanctus procedat vt amor mutuus & nexus duorum. Itaque si solam rationem formalem principij spiratiui siue spiratoris attendamus; dicendum est spiratorem ex essentia vt subsistente, & relatione spirationis constitui. Nam quemadmodum Spiritus S. ex relatione spirationis & essentia vt subsistente constituitur in suo esse personali relatiuo ad spiratorem; ita spirator eius correlatiuum oportet vt constituatur in esse spiratoris ex essentia vt subsistente, & relatione quæ est actiua spiratio. Et confirmatur; quia sicut processio quæ relatio est constitutiua Spiritus sancti, in sua intrinseca ratione & completo conceptu includit essentiam vt subsistentem & relationem: ita & spiratio & quælibet alia relatio diuina; igitur sicut paternitas & pater subsistens est, ita spiratio & spirator. Quòd autem spirator non sit persona cui conuenit incommunicabilis subsistentia, hoc ideo est; quia nullam habet oppositionem relatiuam ad patrem & filium, & propterea idem est realiter cum vtroque. Sed hoc non tollit prædictam spiratoris rationem formalem constitutiua, nec eius subsistentiam: Sicut identitas Dei cum tribus non tollit à Deo proprium & formale Dei constitutiuum, nec eius subsistentiam, sed eam dumtaxat statuit esse pluribus personis communem: aliud est enim esse subsistens, & aliud esse incommunicabile. Et quemadmodum Deus vnus est indiuiduum & singulare subsistens pluribus commune, non ponens in numerum cum tribus personis: ita spirator singulare quoddam est & indiuiduum subsistens duabus personis commune, scilicet patri & filio, cum eis non ponens in numerum. Sicut enim in Deo ratio deitatis non diuiditur vt sit multiplex; ita nec ratio spirationis in spiratore diuiditur: & ideo rectè dicitur indiuiduum.

Tertio considerandum est, quamlibet ex quatuor relationibus diuinis immediatum habere respectum vnitatis per se, & identitatis cum essentia; adeo vt quamuis modo nostro concipiendi prius intelligantur paternitas & filiatio in essentia Dei, quam spiratio passiuæ; non tamen intelligitur aduenire passiuæ spiratio deitati mediante paternitate & filiatione, sed immediatè, vt per se vnum & idem cum natura diuina. Non enim existimandum est illum esse ordinem inter diuinas relationes & essentiam in Deo, quem habent gradus metaphysicales ad inuicem & ad ipsum ens: ita videlicet vt quemadmodum sensitiuum aduenit enti medio viuente, & rationale medio sensitiuo; ita spiratio actiua vel passiuæ intelligatur aduenire deitati media paternitate & filiatione. Falsa est enim hæc imaginatio; nam vt ante diximus, quælibet diuina relatio intimè claudit essentiam: & cum ea immediatè ac per se vnitatem habet & identitatem realem & formalem à parte rei. Et quoniam spirator vt sic nullam habet relatiuam oppositionem ad patrem aut filium: idcirco spirator vnus est realiter & formaliter à patre rei cum patre & filio: qui ex proprijs suis rationibus vnitatè per se sibi vendicant cū spiratore; tū propter secundam vtriusque, scilicet patris & filij voluntatem; tū propter eam communem rationem, quod amor procedit à voluntate intelligentis media conceptione. Nota

tamen

tamen intrinsecè clauditur ratio spiratoris in rationibus patris & filij; cum ante relationem spirationis in Deo cogitatum completè constitutas intelligamus personas patris & filij ex communi diuinitatis essentia & proprietatibus relatiuis, scilicet paternitate & filiatione.

Hæc verò, quæ hucusque diximus, procedūt de spiratore considerato secundum eius rationē formalem constitutiuam. Si verò conditionem eiusdem spiratoris attendamus, pluralitatem scilicet personarum, quasi ad eius integrum conceptum & complementum pertinentem.

Quartò dicendum est spiratorem quodammodo constitui ex essentia, spiratione & duabus personis, scilicet patris & filij, vt bene probat hic Val. & patet ex dictis; quoniam Spiritus sanctus necessariò procedit à patre & filio, vt vnum sunt in virtute spiratiua; igitur Spiritus sanctus procedit à patre & filio, vt sunt vnus & idem spirator; ergò in ratione spiratoris clauduntur necessariò pater & filius vt personæ spirantes: quartū pluralitas rationem habet conditionis per se requisitæ in spiratore. Et quemadmodum Petrus est immediatè intelligens vt quod: & eius etiam anima, quia subsistens est, immediatè intelligit vt quod: ita spirant immediatè pater & filius, & nihilominus etiam spirator est immediatè spirans, loquendo etiam de spiratore in priori sensu; atque ita dicentes Spiritum S. à patre filioque procedere, non negamus sed hoc ipso affirmamus illum à spiratore procedere, cum à patre & filio non procedat Spiritus S. nisi quatenus vnum sunt in virtute spiratiua: ac proinde vt vnus & idem spirator sunt.

Explicatur duplex supposito huius nominis principium siue spirator, & conciliantur sententiæ.

Quintò obseruandum est, nomen hoc principii dictum de patre & filio rationem habere nominis singularis, & simul etiã nominis cõmunis: sicut hoc nomen Deus, vt inquit S. D. infra q. 39. a. 4. ad 1. Nam cum terminis singularibus in hoc conuenit, quòd forma significata non multiplicatur; cum terminis verò communibus conuenit in hoc, quòd forma significata inuenitur in pluribus suppositis, magis tamè habet de ratione termini singularis, quàm communis. Nam vt terminus sit singularis, sufficit vt eius significatum non multiplicetur, sed sit vnum numero; vt autem sit communis, propriè loquendo, requiritur pluralitas formæ significatæ, siue propriij significati; nec sufficit quæuis pluralitas rerum, quibus forma vel res significata sit communis. Cum itaque nomen hoc, principium, dictum de patre & filio, vnam habeat formam significatam scilicet spirationem, vt affirmatur in textu; quãuis hæc pluribus sit personis communis; non erit nomen principij vel spiratoris magis cõmune, quàm singulare, sed è contra. Quatenus igitur nomen principij siue spiratoris est singulare, determinatè significat spiratorem & pro eo supponit; vt verò communis termini rationem habet, supponit confusè, vt ait S. D. hic ad 4. pro duabus personis simul; quia scilicet sub hoc communi, quod est principium, non semper licet ad patrem aut filium determinatè descendere, sed potest vel vterque vel alter eorum supponi, prout exigit propositionis natura vel eius subiectum, in qua prædicabitur hoc nomen principium. In hac enim propositione, Pater est principium, sola determinatur persona patris, de qua prædicatur esse principium. In hac verò, Pater & Filius sunt principium Spiritus sanctus quia de vtraque prædicatur nomen principij, vtraq; simul determinatur. Itaque nomen illud, principium, supposi-

tionem habet secundum se pro vtraque persona confusam: non in eo sensu, vt tam pater quàm filius seorsum sit illud omne, quod significat hoc nomen principium Spiritus sancti; alioquin pater esset filius & è contra; sed id de quo prædicatur principium vel vtraque vel altera potest esse persona, prout enunciationis subiectum vel ratio postulauerit, vt ante diximus.

Nec querendū est signum siue particula confusua illius termini, principij cum sit naturalis cuiilibet cõmuni termino confusa suppositio, vt notat Capr. in 1. dist. 12. q. 1. & hic aduertit Cai. & elicitur ex simili doctrina D. Th. in 3. sent. dist. 1. q. 2. a. 4. quin potius inquirendum est distinctiuum siue determinatiuum, quando distinctè supponit aut significat aliquod inferiorum; vt si dicam, homo Petri filius ambulat, nomen illud homo, quod ex se confusè supponit, contrahitur per illam particulam, Petri filius, ad standum determinatè pro hoc homine.

Et ex his sequitur malè suar. in d. c. 7. imposuisse D. Thom. quod docuerit in responsionibus ad argumenta nomen illud principium vim habere termini collectiui, & ideo supponere pro patre & filio simul; nihil enim vnquam simile dixit, aut ex eius doctrina iam satis explicata deduci potest.

Plura de dicti nominis confusa suppositione tradunt Capr. vbi sup. Ban. Zum. & Ripa super hoc a. c. 1. & alij, quos lege si placet.

Postremò aduerte, sententiæ expositorum supra relatas ex maiori parte verbis esse magis quàm sensu differentes. Nam quoad 4. illud cõstitutum, in quo præcipua videtur esse dissensio, Turrianus qui primus illud impugnauit, affirmat spiratorem esse spirationem per se subsistentem in concreto significatam determinatè hoc nomine spirator, seu hoc nomine principij; negat autem quartum constitutum, ne ponatur quaternitas in diuinis. Quod idem significat Ban. in 1. dicto, Zum. in 5. & 6. Vafq. in 1. & suar. in 3. Iam autem ostendimus quartum illud constitutum non esse personam, neque ponere in numerum cum alijs personis, & tamen esse subsistens ac singulare: sicut hic Deus. Non erat igitur quaternitatis in Deo timenda consequentia ex dicto 4. constituto; quod eadem ratione Caiet. noster affirmaret, qua singulare deitatis concretum essentialiter subsistens. f. hunc Deum tribus personis siue personalibus subsistentijs realiter identificatum affirmat: sequelam ex eo negans quaternitatis in diuinis.

De suppositione verò eiusdem nominis minor adhuc est inter expositores dissonantia, vt videre est ex relatis eorum dictis. Nam qui communem asserunt spiratorem relatione constitutum, consequenter etiam affirmant nomen spiratoris siue principij habere primò suppositionem singularem pro illo singulari communi subsistente: secundò confusam pro suppositis, quibus est communis. Qui verò negant illud commune subsistens, non omnes negant in eo nomine suppositionem singularem & determinatam; nam Torres & alij eam admittunt.

PRIMA CONCL. Ex diuina essentia & spiratione, prout est relatio concepta ante omnem actum spirandi, constituitur spirator siue principium spirationis vt quod, quantum ad omnem eius rationem formalem. Hanc superius explicauimus & pluribus argumentis stabiliiuimus; & probat ac defendit eam Mol. in d. disp. 2.

SECUNDA CONCLVS. Sumendo spiratorem, non solum quo ad omnem eius rationem formalem, sed

Calomnia suauis reijciunt.

Concilium seu sententia

Conclusio- nes de- ductæ, & probatæ.

sed

sed etiam quo ad conditionem per se requisitam, A
que est pluralitas suppositorum, constat non so-
lum ex essentia & spiratione, sed etiam ex patre &
filio.

TERTIA CONCL. Spirator aequè immediatè
spirat, sicut pater & filius: & è contra.

QUARTA CONCL. Nomen spiratoris aut prin-
cipij, quod est commune patri & filio, significat deter-
minate singulare subsistens commune patri & filio,
quod ex essentia & relatione spirationis constituitur;
& pro eo supponit determinatè: supponit autem con-
fusè pro patre & filio, modo superius explicato.

Argumenta
& solutio-
nes.
Obi. 1. con-
cl.

Solut.

Obi. in or-
dine 2.

Conf.

Solut.

ad confir.

CONTRA primam concl. argum. Ban. Primò;
quia ponit quaternitatem in diuinis. Secundo;
quia sequitur Spiritum S. non immediatè pro-
cedere à patre & filio, sed ab hoc quarto consti-
tuto, contra sacram scripturam Ioannis 15. dicen-
tem Spiritum S. procedere à Patre & Filio, non
autem ab hoc quarto constituto. Tertio; quia se-
quitur, quòd Spiritus sanctus immediatè à nulla
persona procedat, sed ab hoc quarto constituto,
quod non est persona. Resp. ad primum nullam
esse conseq. loquendo de quaternitate rerum
realiter distinctarum, quomodo definit Later.
Concilium in capit. Damianus, de Summa Trin. &
fide Catholica, non esse in Deo quaternitatem. Si
verò sub distinctione deducatur, videlicet realiter,
aut saltem formaliter distinctorum, certum est
esse quaternitatem in diuinis; cum in Deo sint
quatuor relationes reales; quamvis vna scilicet
spiratio non sit realiter sed virtualiter tantum à
duabus, scilicet paternitate & filiatione distin-
cta; reliquæ verò tres realiter ab inuicem dis-
tinguantur. Ad secundum iam dictum est aequè
immediatè procedere Spiritum S. à patre & filio
& à spiratore, qui cum eis non ponit in nume-
rum, sed idem est realiter cum utroque; nec op-
positum habetur ex scriptura. Et per hæc solui-
tur etiam tertium argumentum.

CONTRA eandem concl. & simul etiam contra
quartam argum. Zumle. & post eum Suar. Pri-
mo. Pater & filius non spirant nisi vt constitu-
ti per paternitatem & filiationem & essentiam
communem, ergò principium Spiritus S. dictum
de patre & filio, non supponit nisi pro consti-
tuto ex paternitate & filiatione, & non pro
constituto communi ex aliqua proprietate & essen-
tia diuina. Pater antecedens & consequentia: quo-
niam hæc proprietates non potest esse nisi spiratio
actiua; sed hæc non potest constituere principium
Spiritus S. vt sic; quia hæc nõ supponitur produ-
ctioni Spiritus S. sed potius ex illa resultat no-
stro modo intelligendi. Confirmatur (inquit
Zum.) quia principium vt sic non dicit relatio-
nem, sed illud suppositum, à quo alius produci-
tur: at Spiritus S. producitur à Patre & filio, vt v-
no principio; ergo, Resp. falsum esse antec. Et cum
dicitur spiratione actiuam non posse constituere
principium Spiritus S. quia nõ præsupponitur produ-
ctioni Spiritus S. responderetur id falsum esse.
Nā quemadmodum paternitas, prout est relatio
concepta, præcedit generationem & constituit
patrem; quamvis vt exercita consequatur ac-
tum generationis: ita spiratio vt concepta
præcedit productionem Spiritus Sancti, &
constituit spiratorem: licet vt exercita spira-
tionis actum consequatur. Ad confirmationem
negatur antecedens. Principium enim vt quod
dicit relationem vt subsistentem: sicut hoc
principium filij quod est Pater dicit relatio-
nem paternitatis vt subsistentem. Et quam-
uis principium Spiritus sancti, qui est spirator,
Naz. in 1. part. D. Th. tom. 2.

includat patrem & filium modo superius ex-
plicato: significat tamen indiuiduum siue sin-
gulare subsistens vtrique commune.

Sed hæc responsionem impugnant Zumellus
& Suar. Primò; quia paternitas est constitui-
ua personæ patris; neque ante illum est sup-
positum, quod possit operari: at verò spira-
tio supponit personam constitutam, quæ po-
test operari: vnde non constituit personam,
sed relatiuum tantum; ergò nullo modo præ-
intelligitur origini Spiritus Sancti, sicut pater-
nitas generationi, sed longè est diuersa ratio.
Quod probat etiam autoritate D. Thom. infra
quest. 40. art. 4. vbi sic loquitur: Origo actiue
significata prior est secundum intellectum, quam ve-
latio personæ originantis; que non est personalis; si-
cut actus notionalis spirationis secundum intellectum
præcedit proprietatem relatiuam inuicem commu-
nem patri, & filio. Sed proprietates personales pa-
tris potest considerari dupliciter. Vno modo vt est re-
latio: & sic iterum secundum intellectum præsupponit
actum notionalem. Alio modo secundum quòd
est constitutiva personæ, & sic oportet, quod præ-
intelligatur relatio actiui notionalis, sicut persona
agens præintelligitur actioni. Hæc D. Thom. Ex
quibus apparet relationem spirationis omnibus
modis præsupponere spiratorem, non autem
constituere; alioquin nulla esset illa diffe-
rentia, quam ibi statuit S. D. inter prædi-
ctas relationes. Respond. nullam esse conseq.
Nam licet spiratio non constituat personam, sed
supponat duo supposita constituta scilicet pa-
trem & filium; constituit tamen spiratorem mo-
do superius explicato. Ad autoritatem D. Th.
dico in illo articulo, quari principaliter ordi-
nem inter actus notionales & proprietates per-
sonales; id enim pertinebat ad vltimam deter-
minationem difficultatis motæ in præcedenti-
bus articulis de constitutiuis personarum, ad quã
nihil conferebat distinctio spirationis vt relatio
& vt constitutiva; & ideo non fuit ibi sollicitus
de applicatione huius distinctionis ad relatio-
nem spirationis, sed ea omissa transijt ad perso-
nalem proprietatem patris. Comparando nam-
que spirationem ad supposita, de quorum con-
stitutiuis ibi loquitur S. D. certum est eam con-
sequi, non præcedere; quamvis spiratoris sit cõ-
stitutiuua. Secundo dico relationem spirationis
consequi ad originem sumptam ratione suppo-
siti originantis, quod est ipsum suppositum, si-
ue sit vnum siue plura, præcedere spirationem;
quod verum est; nam supposita patris & filij
præcedunt communem relationem spiratio-
nis.

Secundo sic arguit. In creaturis relatio pa-
ternitatis nullo modo præintelligitur genera-
tioni; quia non constituit personam quæ ge-
nerat, sed præsupponit illam iam constitutam.
Et pariter, si in aeterno patre intelligeremus
proprietatem absolutam constitutiuam perso-
næ, paternitas nullo modo præintelligeretur
generationi; & tunc principium generationis
vt sic non supponeret pro constituto per pa-
ternitatem, sed per illam proprietatem absolu-
tam; at ita se habet nunc spiratio respectu pa-
ternitatis & filiationis; ergo. Respond. nul-
lam esse consequentiam & longè disparem esse
rationem; nam relatio paternitatis in creaturis
non est intrinsecè substantia, sicut relatio diui-
na, qualis est spiratio: & ideo quamvis spi-
ratio præsupponat personas patris & filij, con-
stituit tamen singulare subsistens vtrique per-
sonæ commune. Ad illam autem conditiona-
lem;

Replicam
Zumel. &
Suarez.

Solut.

Obi. 3.

Solut.

T lem;

lem; si in eterno Patre, &c. dico propositionem illam esse impossibile, & ad illam duo sequi contradictoria per intrinsecam consequentiam. Nam si persona patris per absolutam proprietatem constitueretur, sequeretur patrem non esse consubstantialem filio, & consequenter patrem non esse patrem. Sequela probatur; quia distinguerentur pater & filius per absolutam; ac proinde per essentiam; igitur filius procederet à patre diuersus in essentia sicut creatura: cui non nisi metaphoricè conuenit filiatio.

Obiectio 4. Tertio. Principium quo istarum processionum est essentia cum relatione constitutiva personæ producentis; ergo cum iam suppositum est constitutum cum sufficienti principio quo, ut est essentia vel voluntas, intelligitur sufficiens principium productionis in tali natura; igitur eo ipso, quod pater & filius intelliguntur esse constituti ut completa supposita diuinæ naturæ, intelliguntur ut sufficiens principium cuiusque actionis & productionis possibilis, tam creationis quam spirationis; ergo principium Spiritus sancti ut sic dicit ipsum patrem & filium immediatè, ut sunt vnum in virtute spirandi, & non constitutum per relationem spirationis. *Resp.* falsum esse antecedens formaliter & præcisè sumptum. Nam ut supra diximus ex D. Th. principium quo processions Spiritus S. est essentia sub ratione communis notionis, quæ est spiratio. Et quemadmodum generatiua potentia dicit essentiam sub ratione paternitatis: ita spiratiua potentia, quæ est principium quo, dicit essentiam sub ratione spirationis; igitur principium quod erit spirator constitutus ex essentia & spiratione. Quomodo verò in spiratore claudantur Pater & filius, satis explicauimus.

Obi. *Contra eandem conclus. argum.* Suar. Idem est sufficiens & immediatum principium productionis per voluntatem; quod est principium productionis per intellectum; ergo sicut pater ut constitutus sua proprietate personali immediatè generat, ita etiam immediatè spirat; & è còuersò sicut non potest dari constitutum commune immediatè producens per intellectum, ita nec per voluntatem. Conseq. clara est. Antecedens patet; quia amor procedit ex cognitione: unde idem est amans qui est intelligens; ergo idem etiam immediatè producit amando qui producit intelligendo. Et eadem (inquit) ratio cum proportionè est ad filium applicanda; quia licet ille non sit principium productionis per intellectum, quia per illam accipit esse; tamen supponitur persona intelligens ante productionem per voluntatem; ergo iam constitutus per suam proprietatem sicut immediatè amat cum patre, ita etiam immediatè producit per illum amorè quicquid naturaliter produci potest. Patet consequentia; quia iam habet volutatem & amorem cum prioritate originis ad processionem voluntatis; ergo habet cum tota secunditate, & cum omnibus requisitis ad illam productionem. Non igitur constitutum aliquod commune, sed pater & filius immediatè spirant. *Resp.* idem esse sufficiens & immediatè principium productionis per voluntatem, quod est principium productionis per intellectum; sed non secundum eandem potentiam, quæ est essentia cum relatione; nam pater est principium generationis per essentiam, prout est paternitas: productionis autem Spiritus sancti per eandem essentiam, prout est spiratio. Et quia essentia & relatio in Deo est substans, ideo pater ut pater est, principium

est immediatum productionis filij; ut spirator autem est principium immediatum productionis Spiritus S. Et idem dicendum est de filio, qui per spiratiuam potentiam, quæ est essentia, voluntas & spiratio, producit Spiritum sanctum ut principium eius proximum & immediatum. Ad argumentum ergo admissio antecedente in bono sensu, negatur consequentia; quia licet sit idem principium, alia tñ & alia est potètia siue principium quo producit: & consequenter alio constituitur in esse patris & alio in esse spiratoris: quauis vtriusque productionis sit immediatum principium, ut ante diximus. Secundò negatur antecedens formaliter sumptum; quia non est idem principium secundum eandem potentiam, & consequenter non est idem principium quo, ac proinde non est eadem ratio formalis principij, licet sit idem principium materialiter: idem suppositum producens: quod tamen non est totum id quod est principium; cum plura includat principium spirationis quam pater, ut patet ex dictis.

CONTRA secundam concl. argum. Mol. Non datur tertia ratio, quæ intrinsecè includat rationem spiratoris & patris & filij, quasi ex illis nostro modo intelligendi coalescens: eo pacto quo ex essentia & paternitate constitui nostroque intelligendi modo quasi coalescere ratio patris intelligitur; ergo &c. *Resp.* dari tertiam rationem, quæ est ratio spiratoris, in qua clauditur essentia, spiratio, pater & filius modo superius explicato. Sicut etiam in vna ratione Dei clauditur essentia, relationes & personæ.

CONTRA tertiam concl. eadem ferè militant argumenta, quæ contra primam.

CONTRA quartam sunt argumenta, quæ referunt & solunt Capr. Cai. & alij expositores D. Thom. super hoc a. Contra eandem concl. argum. Vsq. In Deo est tantum vnum principium, nec plura sub illo assignari possunt; ergo nomen illud principium non supponit confusè. Anteced. probatur; quia sub eo non possunt assignari pater & filius tanquam singularia illius, tamen si sint illius nominis connotata. *Resp.* nullam esse consequ. eo quod nomen principij, sicut hoc nomen Deus, vim habet termini singularis: & secundum hanc rationem plura sub illo singularia non possunt assignari: habet etià vim termini communis: & secundum hanc rationem in pluribus inuenitur suppositis, pro quibus confusè supponit, ut ostendimus infra q. 39 a. 4. Hanc suppositionem quidam dicunt esse non Logicam, sed Philosophicam. De hac legendi sunt Ban. & Zumel. super hoc art.

De sententia Durandi & Arimin. nihil diximus, quia sufficienter fuit à recentioribus confutata.

TERTIA CONTROVERSIA.

An principium quod spiratiuum per se ac necessariò postulet plura alia etiam suppositorum?

PRIMA sententia est Scoti in 1. dist. 12. quæ explicat Rada contr. 16. a. 1. tribus conclusionibus. *Prima* est. Non est conditio necessario requisita ad spirandum, quod spirator sit vnica tantum persona, nec quod sint plures personæ. *Secunda* conclusio. Conditio necessario requisita ad spirandum est, quod virtus spiratiua sit in re priori, & re ipsa distincta à Spiritu S. siue illa res sit vna persona siue plures. *Tertia* conclusio. Spi-

*Sententia
Doborum.*

ri-

ritus sanctus ex ordine, qui est inter intellectum & voluntatem diuinam, necessariò est à duabus personis, licet hæc dualitas per se non requiratur.

D. Thom. hic in resp. ad 1. & in 1. dist. 17. qu. 1. a. 2. docet Spiritum sanctum procedere à patre & filio in quantum sunt vnum, & in quantum sunt plures modo superius explicato, & latius inferius explicando. Cuius sententiam sequuntur omnes eius discipuli & expostores dicentes cum Caiet. principium spiratiuum quod exigere necessariò & per se pluralitatem suppositorum & non per accidens aut solum concomitanter. Quamuis Cai. supra a. 2. sententiam Scoti non improbabilem reputauerit. Sed Cai. sensum aperiemus inferius.

Resolutio. Aperiatur Status controuersie, & probatur emanationem spiritus S. per se posse esse pluralem in suppositorum in spiratore.

CONSIDERANDUM est primò emanationem siue productionem, qua aliquid ab aliquo producit, mediam esse saltem modo nostro concipiendi inter producentem & productum. Quod igitur alicuius emanatio siue productio sit necessariò, ac per se à pluribus diuinis suppositis dupliciter potest intelligi. Vno modo ex parte producentis, quia scilicet ea est producentis natura, vt in pluribus sit vna specie ac numero indiuisa personis: & emanatio siue productio, ex eiusdem proueniat naturæ potentia, quatenus personis omnibus est communis: & hoc modo creaturæ productio necessariò ac per se ex diuinis omnibus sibi vendicat esse personis, quia nimirum potentia, qua producit creatura, diuinitati conuenit ea ratione qua reperitur in tribus secundum omnes eius perfectiones absolutas: ex quibus vna præcipua est creatiua potentia. Conuenit igitur creaturæ per se ac necessariò à tribus diuinis personis produci ex parte producentis: & ob eandem causam non conuenit per se, sed quali per accidens ratione ipsius creaturæ productæ à pluribus emanare personis; nam cum sit eadem singularum potentia & operatio ad extra personarum, æquè perfecta esset quæuis mundi creatura, si ab vna sola produceretur persona, sicut modo est à tribus emanans. Alio modo potest esse siue intelligi productio alicuius à pluribus personis necessariò ac per se ex parte producti: quando scilicet ea est natura siue ratio aut proprietas rei productæ, vt eius emanatio non nisi à pluribus esse possit, si suo debet gaudere constitutio: vt exempli gratia: si mundus aut Angelus sua essentiali perfectione careret, data hypothese quòd ab vna crearetur persona. De priori sensu nulla potest inter Catholicos esse dissensio. Nam supposita Trinitate personarum in diuinis pater & filius in omnibus vnum sunt, in quibus non distinguit inter eos oppositio relatiua. Certum est autem non opponi relatiuè patrem & filium secundum virtutem aut actum spirandi; igitur productio spiritus S. pluralitatem exigit personarum ex parte producentis. Quaestio igitur est de posteriori sensu, quem etiam præfert propositæ controuersie titulus, ac dilucidè satis exprimit ea ipsa verborum forma. Quaeritur enim an principium quod spiratiuum per se ac necessariò pluralitatem postulat personarum, ad eò vt principium spiratiuum vt sic, siue spirator vt sic esse non possit absque pluralitate suppositorum scilicet patris & filij: quod est querere: an processio spiritus S. ex parte ipsius amoris procedentis: siue, an spiritus S. procedens ex sua proprietate personali pluralitatem exigit personarum in principio quod spiratiuum siue in spiratore: an autem illi sit solum per accidens & concomitanter annexa, vt

de principio creatiui dictum est.

Secundo obseruandum est, processionem amoris dupliciter posse considerari. Vno modo absolute siue in communi præscindèdo à singulis huius processionis modis. Alio modo vt processio talis amoris, qui est spiritus S. Et rursus processio spiritus S. dupliciter potest considerari. Vno modo vt est processio spiritus S. vt sic. Alio modo vt est processio spiritus S. prout hac personali proprietate constituitur & à quatuor alia persona distinguitur. Si sermo sit de processione amoris vt sic siue præcisè, certum est eam per se ac necessariò non requirere pluralitatem suppositorum in suo principio spiratiuo; quoniam processio amoris vt amor est, hoc solum exigit, vt sit à verbo siue notitia diligentis, qua repræsentatur obiectum, & à voluntate vt elicitiua potentia, cui non necessariò conuenit, vt vna numero sit in multis suppositis: vt patet in Angelis & hominibus in quibus perfecte procedit amor etiam amicitia, qui tamen est ab vno supposito. Nam etiam amicitia semper sit ad alterum, atque ad eò inter duos se inuicem amantes, non est tamen in duobus his amor vnus numero, sed à duobus amantibus duplex amicitia perfectus spiratur amor. Postulat igitur amor præcisè sumptus, vt sit à verbo tãquam principio formali motiui voluntatis, & à re verbo repræsentata vt finaliter mouente, à voluntate vt principio quo, & à volente vt supposito seu principio quod. Hæc autem omnia in vnico possunt reperiri supposito; igitur processio amoris vt sic pluralitatem non exigit personarum, ac proinde neque processio spiritus S. vt amor est præcisè, suppositorum pluralitatem postulat necessariò; alioquin omnis amor talem exigeret pluralitatem. Et quoniam in Deo potest concipi ratio spiritus S. absque processione eius à filio, vt patet ex supra dictis art. 2. idcirco processio spiritus S. vt sic nõ postulat per se suppositorum pluralitatem in spiratore; Quæuis. n. secluso per intellectum ordine originis inter filium & spiritum S. nõ esset inter eos realis distinctio, & essent vna persona; vtriusque tamen hæc vna rationem & proprietatem haberet verbi scilicet & amoris, non minus perfecte quàm nunc habeat cum distinctio reali. Esset itaque tunc spiritus S. & tamen non à duabus sed ab vna sola persona. Denique si loquamur de processione spiritus S. prout est hæc indiuidua persona tali proprietate constituta: dicendum est illud in sui principio productiui necessariò postulare suppositorum pluralitatem scilicet patrem simul & filium, vt vnum spiratorem & duos spirantes. Cuius veritatis multa solent à Doctoribus & A. nostri D. expostitoribus argumenta produci.

Processio amoris vt sic

Processio spiritus S. vt sic.

Processio spiritus S. vt hæc persona.

1. argum.

Primum argumentum illud est, quod sæpe repetit D. Thom. ex August. in 6. de Trinit. c. 5. & alij patribus præsertim quasi. seq. art. 1. ad 3. vbi sic loquitur. Spiritus S. dicitur esse nexus patris, & filij; quia cum pater amet vnica dilectione se, & filium. & e conuerso, importatur in spiritu sancto, prout est amor, habitudo patris ad filium, & e conuerso, vt amantis ad amatum: sed ex hoc ipso, quòd pater & filius se mutuò amant, oportet, qd mutuis amor, qui est spiritus sanctus, ab vtroque procedat. Et in 1. sent. distinct. 10. quæst. 1. artic. 3. hæc habet verba: Quando aliquis placet sibi in aliquo, trahit se in illud, & coniungit se illi, quantum potest, ut a vt illud efficiat suum: & inde est, quòd amor habet rationem vniendi amantem, & amatum. Et quia spiritus sanctus procedit vt amor, ex modo processionis habet, vt sit vnio patris & filij. Et infra: Pater, & filius dicuntur vnum



spiritu sancto non effectiue, sed quasi formaliter. Sed est forma duplex: quadam manens & quiescens in his quorum est forma: & sic per modum forme se habet ad personas diuinas essentia diuina: & sic vniuntur formaliter amore essentiali. Est, & aliquid formaliter vniens non quasi inherens, sed quasi procedens ab utroque, vniortum, ac si diceremus, aliqua duo corpora vni per aliquem liquorem ab eis procedentem: & ita pater & filius vniuntur Spiritu S. Hac ibi.

Caietani obiectio.

D. sensio.

Sed discursum hunc Cai ait esse deficientem; quia connectere, vniere & similia, non conueniunt (inquit) Spiritui S. ex proprietate personali, sed ex inclusio amore essentiali. Hanc tamen ego rationem D. Tho. arbitror esse omnium efficacissimam, eo quod non solum communia, sed etiam propria complectatur amoris personaliter dicti. Quamuis enim connectere & vniere sic absolute conueniant amori vt amor est & ad amorem essentialem in Deo pertineant: connectere tamen & vniere per modum vnus impulsus ad duobus vnus voluntatis ac volitionis suppositis procedentis soli conuenit amori personali ex eius proprietate constitutiuia. Cum enim vt ante diximus, nulla sit oppositio inter patrem & filium in hoc, quod est spirare Spiritum sanctum: necesse est ab vna simplicissimaque patris & filij voluntate, per vnum ac simplicissimum actum procedere personalem amorem, qui est Spiritus sanctus, qui hoc ipso quod amor est perfectissimus, ex sui propria & intrinseca ratione sibi vendicat, vt a mutua patris & filij dilectione procedat, alioquin non adequaretur terminus actui se mutuo diligentium patris & filij: nec dilectionis obiecto complectenti simul essentiam & personas; nec procederet Spiritus S. vt amor perfectus, vt etiam deducit Richardus de S. Victore lib. 3. de Trinitate c. 7. & 11. dicens amorem esse non posse perfectum neque iocundum, nisi sit saltem duorum: & amoris plenitudinem ex sui natura plura postulare supposita. Hoc quod precipuum esse diximus argumentum, alio modo explicat Vasq. disputat 150. c. 2.

Canius Suarezij

Confutatio

Sed ait Suar. hac ratione conuinci quidem de facto Spiritum S. procedere a duabus personis, quia de facto est nexus duorum: non tamen probari hoc per se conuenire Spiritui S. ex vi sue proprietatis personalis. Nam quando (inquit) August. dicit Spiritum S. esse nexum, non dicit denominationem hanc illi conuenire sub illa formalitate seu perfectitate, sed solum de facto ita esse. Neque etiam hoc formaliter pertinet ad rationem vel perfectionem amoris: amor enim patris quatenus diligit seipsum, non minus perfectus est, quam sit amor patris & filij quatenus se mutuo diligunt; ergo si esse posset pater prima persona seipsam diligens absque filio, non minus esset productiuua per amorem, quantum est ex perfectione amoris. Sed ex his nihil minuitur, sed magis aperitur predictae rationis efficacitas. In hoc enim posita praecipue videtur esse controuersia: an supposita personarum in Deo trinitate, Spiritus S. ex propria sua ratione siue ex personali suo constitutiuo processionem sibi vendicat a duabus personis scilicet patre & filio; vt ait sanctus Thomas; an per se accidens tantum & concomitanter concurrat filius ob naturam cum patre identitatem, & in ijs omnibus conuenientiam in quibus patri non opponitur relatiue, vt opinantur Scotus & alij. Dicimus nos, cum ait Aug. & alij Patres & Scholastici spiritum S. esse nexum patris & filij, intelligendum esse per se & ex propria ratione personali, ob rationem superius

assignatam: vbi etiam cum Richardo diximus ad perfectionem amoris pertinere, vt sit mutuus & sit nexum amantium. Nec verum est (supposita in Deo trinitate personarum) aequum perfectum esse amore patris quo seipsum diligit, sicut amor patris & filij quatenus se mutuo diligunt: Amor enim quo pater intelligitur seipsum praecise diligere, non fertur vt sic in obiectum adequatum diuinae dilectionis, quod est diuinum bonum confurgens ex absolutis omnibus & relatiuis. Quamuis enim vt art. 3. q. 29. notauimus cum Caietano, relatio formaliter & incommunicabilis non dicat perfectionem neque imperfectionem, necessaria tamen est ad complementum infinitae perfectionis & bonitatis in Deo, cuius vna natura ex sui infinitate tribus subsistit incommunicabilibus subsistentijs. Hoc vero bonum adequate respicit vna voluntas patris & filij se mutuo diligentium, & amorem spirantium, qui est intrinsecus eiusdem dilectionis terminus: ac prouide simul cum patre & filio infinite dilectus. Sicut igitur essentiae diuinae perfectio pluralitatem exigit personarum & relationum: ita diuini amoris perfectio pluralitatem exigit se se mutuo diligentium, & vnum numero amorem spirantium. Quod autem addit Suar. si esse posset pater prima persona seipsam diligens absque filio &c. ad rem non facit, loquimur enim supposita personarum in Deo trinitate, quae tota simul vnum est infinitae dilectionis obiectum; praecise vero filio, iam non esset Deus, vt est, nec Spiritus S. eadem esset numero persona, quae nunc est, nec eiusdem rationis. Nos vero loquimur de spiritu sancto prout haec numero persona est tali proprietate constituta.

Secundum argumentum sumatur ex propria ratione distinctiuo personalis in diuinis, quae est oppositio secundum relationem originis. Igitur, vt Spiritus S. distinguatur a filio, necesse est vt ab eo procedat sicut a patre. De materia huius argumenti late differuimus in art. 2. huius quaestio. Hoc vtitur Zumel. disp. 4. concl. 2. quem lege, si placet.

Secundum ar. gumentum.

Tertium argumentum deducitur ex personali proprietate constitutiuo spiritus S. Quia spiritus S. prout nunc procedit, dicit ex vi suae processionis habitudinem relatiuam ad patrem & filium; ergo per se respicit & requirit vtramque personam ad sui productionem. Antecedens patet ex supradictis de principio spiratio siue spiratore, ad quem diximus cum D. Th. requiri vt conditionem necessariam pluralitatem suppositorum: quod hic etiam affirmat Cai. & explicat Zum. post 3. concl. suam. Consequenter verum probatur; quia relatio per se & quidditatiue respicit suum terminum adequatum: terminus autem adequatus relationis constitutiuus spiritus S. est spirator, qui id est realiter quod pater & filius, & vnum ac immediatum cum eius productionis spiritus S. principium; igitur ad patrem & filium vt ad vnum principium & distinctas personas per se referatur spiritus S. Hoc fere discursu latius explicato ad institutum probandum vtitur Suar. lib. 10. c. 6. n. 6. & 7.

Tertium ar. gumentum.

Sed contra probationem antecedentis argumentatur Val. id quod per se & formaliter concurrat ad productionem alterius & influit in illud, non est productionis conditio, sed principium aut de ratione principij productiuo: at duo supposita diuina, vt duo sunt, per se etiam concurrunt ad productionem spiritus S. ergo dualitas suppositorum non est conditio, sed pertinet ad rationem principij Spiritus

Val obiectio.

tus

Solut.

tus S. Resp. primò falsam esse minorem formaliter loquendo de dualitate suppositorum, vt dualitas est. Nam licet supposita patris & filij, vt supposita sunt, claudantur in ratione principij spiratiui, & sint ipsum principium quod spiratiuum, dualitas tamen eorum est conditio talis principij. Secundò dico, supposita illa vt duo concipi vt conditionem comparatione rationis formalis & cõstitutiui principij spiratiui. Tertio dico, D. Th. & Cai. nunquam asseruisse duo supposita scil. patrem & filium esse præcisè conditionem principij spiratiui. Quartò dico, sicut existentia suppositi agentis est eius conditio, quatenus agens est, ita vnitas vel pluralitas, quia sicut vnunquodque se habet ad esse existentie, ita ad vnitatem vel pluralitatem, quæ consequitur esse, prout est indiuisum aut diuisum. Itaque si esse est suppositi agentis conditio: eadem ratione vnitas vel pluralitas eiusdem erit conditio quatenus agens est.

Vasq. solut.

Postremo respondet Vasq. c. 3. dualitatem suppositorum non esse conditionem requisitam, vt essentia siue voluntas cū relatione spirationis sit potentia spirandi; cum tota potentia æquè sit in patre sicut in filio. Sed dicimus (inquit) duarum personarum proprietates esse conditiones, non potentie spirandi secundum se, sed ipsius spiratoris & principij, quod idem est ac si diceremus, vt per hanc potentiam talis persona producat cum tali proprietate characteristicam, nempe proprietate nexus duorum, tota ipsa potentia debet esse communis duobus suppositis, quæ per illam tanquam per communem formam producant: sic enim fit, vt dilectio qua procedit Spiritus S. sit communis amor & habeat rationem nexus, quam alias non haberet. Sed hæc ratio æquè probat duarum personarum proprietates, vt due sunt, esse necessarias vt conditiones potentie, sicut spiratoris, & ipsius spirati quatenus nexus est. Nam, si talis potentia in vna sola persona sine tali conditione factis esset ad producendum, iam superflueret altera, nec dualitas esset in spiratore necessaria. Et confirmatur, quia spirator non exigit talem conditionem, nisi quia potentia talem postulat conditionem, vt sit ei ratio operandi; potest enim esse perfecta potentia cum negatione necessaria conditionis ad agendum: cum alia sit ratio potentie & alia conditionis, vt sit actu agendi ratio.

Reiicitur sol. 1. q. 4.

4. arg. ex Cai.

Quartum argum. est quo vtitur Cai. Si processio Spiritus S. necessario est à patre & filio; igitur est ab eis in quantum tales; ergo in quantum plures. Probatur hæc sequela, quia non sunt intelligibiles vt sic nisi vt plures.

5. arg. ex Val.

Quantum argum. est, quod adhibet Val. Quidquid Spiritui S. iam competit est de eius ratione; sed etiam ei competit vt procedat ab vtroque; ergo id ipsum est de eius ratione. Maior probatur, quia est ens simpliciter necessarium, cui nihil accidit. Minor est de fide.

Reiicitur 1. 4. Val.

Sed diceret Scotus maiorem esse veram de eo, quod competit ei secundum se, non autem in ordine ad alia supposita. Ad probationem admitteret necessitatem, sed negaret perfectitatem.

6. arg. ex D. Tb.

Sextum argumentum est D. Tho. in 1. dist. 29. a. vlt. ad 2. Diuersa est ratio creationis, & spirationis; quia spiratio præexigit distinctionem in suppositis: vnde est aliquo modo a pluribus suppositis, in quantum distincta sunt: cum sit operatio personalis: sed creatio est opus essentie diuine: vnde est opus suppositi indistincti, prout essentia significatur vt id quod est, vt hoc nomine Deus. Hæc ibi. Et confi-

A sit vis rationis in hoc, quod spiratio est operatio personalis, & præexigit duas personas; ergo est ab eis, in quantum distinctæ personæ sunt; alioquin non differret ab opere creationis: nec esset operatio personalis per se & formaliter de persona relatiua loquendo, vt distinguitur contra essentiam, tam in abstracto, quam in concreto sumptam. Quomodo verò creatio personis in Deo relatiuis conueniat supra diximus in primo notabili cum Cai.

Vltimum argum. est D. Th. in a. 2. huius quest. quo probat amorè à verbo necessario procedere. Cuius efficaciam ostendimus cumulatè in 2. controu. illius a.

B PRIMA CONCL. Processio amoris vt sic non exigit necessarium, & per se pluralitatem in principio spiratiuo.

Vltimè argum. ex D. Tb.

Conclusiones deducuntur ex præ. & probantur.

SECUNDA CONCL. Processio Spiritus S. vt sic non exigit per se pluralitatem suppositorum in principio spiratiuo.

TERTIA CONCL. Processio Spiritus S. vt est hæc persona tali proprietate constituta, exigit non tantum ex parte producentis, sed etiam ex parte ipsius Spiritus S. procedentis per se, & necessario pluralitatem suppositorum in principio spirationis, siue (quod idem est) Spiritus S. ex vi, & ratione sue processiois, & proprietatis personalis exigit necessario, & per se pluralitatem personarum in spiratore: aut (quod idem est) principium quod spiratiuum exigit necessario, & per se pluralitatem suppositorum. Hanc conclusionem probant ea septem argumenta, quæ produximus ex D. Th. & alijs.

CONTRA secundam concl. militat præcipuè primum argumentum, quo probata est tertia concl. Sed Respondet Cai. quem sequitur Moli. connectere & vnire & similia conuenire Spiritui S. ex amore essentiali incluso, non autem ex proprietate personali. Quod verum esset data hypothese, quod Spiritus S. à filio non procederet. Sed vt diximus, non esset tunc eadem proprietas, nec ratio Spiritus S. & esset alia numero persona ab ea, quæ nunc est. Quomodo autem amor personalis, qui nunc est, conueniat nexus & vnio ex proprietate personali, & non tantum ex essentiali incluso declaratum est supra.

Ob. 1. cõ. 2. primum argumentum, quo probata est tertia concl. Sed Respondet Cai. quem sequitur Moli. connectere & vnire & similia conuenire Spiritui S. ex amore essentiali incluso, non autem ex proprietate personali. Quod verum esset data hypothese, quod Spiritus S. à filio non procederet. Sed vt diximus, non esset tunc eadem proprietas, nec ratio Spiritus S. & esset alia numero persona ab ea, quæ nunc est. Quomodo autem amor personalis, qui nunc est, conueniat nexus & vnio ex proprietate personali, & non tantum ex essentiali incluso declaratum est supra.

CONTRA tertiam concl. argum. Scotus. Primum. Virtus spiratiua tam perfecte est in vna persona, sicut in vtraque; ergo solus pater absque filio posset spirare Spiritum S. ergo ea pluralitas suppositorum non est necessario & per se requisita, sed tantum per accidens. Probatur antecedens; quia virtus spirandi est voluntas diuina, vt in supposito priori origine processione voluntatis: at voluntas vt in supposito &c. æquè perfecta est in solo patre simul & filio. Eodem ferè argumento vtitur Rada. Resp. in virtute siue potentia spirandi duo considerari. Vnum est ipsa virtus, quæ constat ex essentia, voluntate, & relatione communi scil. spiratione, quæ virtus est principium quo productionis Spiritus S. & hæc tota & perfecta est in solo patre: sicut in patre simul & filio. Alterum est conditio necessaria, vt talis virtus sit actu principium quo productionis: & hæc est duplex relatio subsistens. scil. paternitas, & filiatio coniunctim, siue pater simul & filius, ob rationes superius assignatas; quia scilicet Spiritus sanctus vt amor etiam personalis procedit vt nexus, &c. Et præterea quia relatio constitutiua Spiritus sancti respicit vt terminum adæquatam spiratorem, qui necessario est pater & filius &c. Secundo respondeo, in virtute siue potentia spiratiua duo claudi. scil. essentiam siue etiam voluntatem & relationem communem spirationis; quæ,

Ob. 1. cõ. 3. concl. Vnum est ipsa virtus, quæ constat ex essentia, voluntate, & relatione communi scil. spiratione, quæ virtus est principium quo productionis Spiritus S. & hæc tota & perfecta est in solo patre: sicut in patre simul & filio. Alterum est conditio necessaria, vt talis virtus sit actu principium quo productionis: & hæc est duplex relatio subsistens. scil. paternitas, & filiatio coniunctim, siue pater simul & filius, ob rationes superius assignatas; quia scilicet Spiritus sanctus vt amor etiam personalis procedit vt nexus, &c. Et præterea quia relatio constitutiua Spiritus sancti respicit vt terminum adæquatam spiratorem, qui necessario est pater & filius &c. Secundo respondeo, in virtute siue potentia spiratiua duo claudi. scil. essentiam siue etiam voluntatem & relationem communem spirationis; quæ,

quoniam eadem est realiter paternitati & filiationi, utramque complectitur: adeo ut nomine potentiae spiritalis comprehendatur essentia & relatio spirationis, cum relationibus paternitatis & filiationis ab ea praesuppositis, & eidem identificatis. Vnde ad argumentum dico, antecedens verum esse de virtute spiritali quo ad omne absolutum, quod in recto significat: non verò quoad omne relatiuum quod connotat siue significat in obliquo: sicut ait D. Th. q. 42. a. 5. ad 3. de potentia generandi eam scilicet esse communem tribus personis quantum ad essentiam, sed quantum ad notionem, quae connotatur, propriam esse patris. Et haec mihi videtur omnium optima resolutio.

Respon. 1.

Contra primam respons. est argum. Valen. supra confutatum. Contra eandem respons. argum. Rada. Primò: Quia distinctio inter personas diuinas, & pluralitas earum nec est ratio formalis principij creatiui, nec conditio; ergo neque est conditio principij spiritali. Respond. nullam esse conseq. ob rationem superius assignatam: & praesertim quia Spiritus procedit ut nexus &c. Sed contra arguit Rada. Spiritus S. dicitur nexus patris & filij, quia nectuntur in Spiritu S. sicut in communi productum: at creatura est commune productum; ergo etiam creatura dicitur nexus trium personarum, quod est absurdum: Primò: quia personae non necessario nectuntur in creatura, quia liberè eam producant: Secundò: quia est res inferioris ordinis. Respon. Spiritum S. esse nexum, non quomodocunque, sed ut terminum dilectionis intrinsecum ipsa dilectione productum: quod de creatura dici non potest.

Solus.

Replic.

Sol.

Insb. 2.

Secundò principalem responsionem sic arguit. Si pluralitas suppositorum est conditio necessaria ad spirandum, sequitur, quod pater non producit Spiritum S. Probatur sequela; quia pater non est plures personae sed una; ergo &c. Respon. nullam esse conseq. Ad probationem negatur sequela. Non enim sequitur patrem non producere, sed patrem solum sine filio non producere: quia pater simul cum filio coniunctus conditionem habet pluralitatis, quam neuter seorsum habet.

Solut.

Alia eiusdem authoris argumenta ex dictis facilem habent solutionem, ex quibus etiam diluuntur, quae hic producant expolitores & soluant.

PRÆDICTAS esset addenda QUARTA CONTROVERSA de veritate propositionis: an scilicet haec propositio, Pater & filius sunt vnum principium Spiritus S. proprie & rigore sit vera? Sed quoniam hic eam perspicue & eruditè versant & definiunt expolitores, ac praesertim Zum. disp. 1. idcirco laborem nostrum in ea diligentius examinanda superuacaneum existimamus.

Sume.

Molina.

Differunt hic Zum. disp. 3. & Molina disp. 3. & 4. de regulis obseruandis circa nomina diuina abstracta & concreta, adiectiua & substantiua, absoluta & respectiua. Sed huius quaestionis propria sedes est in q. 39. art. 4. & 5.

Vide quae scribit Cai. circa responsiones ad argumenta D. Tho.

Circa respons. ad 4. argum. vbi S. Tho. negat hanc propositionem, Pater & filius sunt vnum principium, quod est pater; quoniam ut inquit Bannes, fumendo relatiuum illud, quod, restrictiue est falsa propositio, quamuis copulatiue sit vera: censet Mol. simpliciter esse concedendam; quoniam (inquit) relatiuum quod, cum sit neutrum, refert principium subsistens commune patri & filio, nempe spiratorem; spirator autem

Mol. diff. am
respon. itur.

A est principium quod est pater & filius: Sicut vnus Deus est pater & filius. Sed hoc argumento non probatur nisi veritas sensus copulatiui. Cum itaque propositio sit ambigua, non est simpliciter admittenda.

QVAESTIO XXXVII.

De nomine Spiritus S. qui est amor, in duos articulos diuisa.

Deinde quaeritur de nomine amoris. Et circa hoc quaeruntur duo.

Primò, Vtrum sit proprium nomen Spiritus sancti.

Secundò, Vtrum pater, & filius diligant se Spiritu sancto.

Ratio ordinis.

IN EXORDIO quaestionis praecedentis reddita est ratio ordinis trium quaestionum de Spiritu S. quarum haec est secunda, quae duos habet articulos. In quorum primo quaeritur quid nominis, & simul etiam quid rei Spiritus S. quatenus ut amor concipitur, & amoris vocabulo significatur. In secundo quaeritur denominatio ex eodem Spiritu S. quatenus amor est, ad patrem & ad filium deriuata, & hac propositione significata; Pater & filius diligunt se Spiritu sancto.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus sancti.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod amor non sit proprium nomen Spiritus sancti. Dicit enim August. lib. 15. de Trin. Nescio cur sicut sapientia dicitur & pater, & filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes, non tres, sed vna sapientia, non ita & charitas dicatur pater, & filius, & Spiritus sanctus, & simul omnes vna charitas. Sed nullum nomen, quod de singulis personis predicatur, & de omnibus in communi singulariter, est nomen proprium alicuius persona. Ergo hoc nomen, amor, non est proprium Spiritus sancti.

2 Præerea, Spiritus sanctus est persona subsistens: sed amor non significatur ut persona subsistens: sed ut actio quadam ab amante transiens in amatum. Ergo amor non est proprium nomen Spiritus sancti.

3 Præerea. Amor est nexus amantium, quia secundum Dion. 4. c. de diu. nom. est quadam vis unitiua: sed nexus est medium inter ea, quae connectit, non autem aliquid ab eis procedens. Cum igitur Spiritus sanctus procedat à patre, & filio (sicut ostensum est) videtur, quod non sit amor, aut nexus patris, & filij.

4 Præerea. Cuiuslibet amantis est aliquis amor: sed Spiritus sanctus est amans. Ergo eius est aliquis amor. Si igitur Spiritus sanctus est amor, erit amor amoris, & Spiritus à spiritu. Quod est inconueniens.

Sed contra est, quod Gregor. dicit in Hom. Pentec. Ipse Spiritus S. est amor.

Respond. Dicendum, quod nomen amoris in diuinitate sumi potest essentialiter, & personaliter. Et secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus sancti, sicut verbum est proprium nomen

filij.

198
1 di. 10 a. 4.
diff. 27.
q. 2 a. 2 q. 2.
cor.
Et ver q. 4.
a. 2 ad 7.
Li. 15 de tri.
c. 17 ante
med. tom. 3.

li. 4. p. 2. &
p. 1. non re-
motè à fructu
q. 36. a. 2.

Hom. 30. in
Euang. circa
prim. illius.